

2
3
238








a spese

Gatebialle mero spraegabblo


dessopi ercose benis




XXXVII

PINGO.

1501



PHILIBERTI PINGONII SABAVDI. CVSIACEN. BARONIS.



SINDON EVANGELICA.

Accesserunt Hymni aliquot, Insignis Bulla Pontificia.

Elegans Epist. Francisci Adorni Ies. de Peregrinatione memorabili.



AVGVSTÆ TAVRINORVM,

Apud hæredes Nicolai Beuilaquæ. 1581.

Cum Priuilegio decennali.

ILLVSTRIBVS, ET REVERENDISS.
FRANCISCO, ET PETRO LAMBERTIS, FRATRIBVS,
NICIEN. ET MAVRIANEN. EPISCOPIS.
PHILIB. PINGONIVS. S. D.



VM *ab ineunte ætate obseruare vos cœperim, Amplißimi viri, admirariq; magis ac magis nunquam desierim virtutem quæ in uobis est, virtutiq; obsequentem fortunam, cuius ipsi uobis fabri fuistis, uolui tandem animi mei testimonium aliquot exhibere, Ut si quam de me opinionem concepistis, nunc exploratò qualem me uobis præstare cupiam, omnes uobiscum simul intelligant. Nuper Serenißimus Dux noster* EMANVEL PHILIBERTVS *cum Cardinalem Boromæum, uirum admirandæ sanctimoniæ Taurini excepisset, & SINDONEM Sacrosanctam spectandam proposuisset, imperauit, siquid ea de re compertum haberem ex tabularum sanctuario, & ueteribus monumentis, id de tam precioso thesauro, in medium proferrem. Perquisiui diligenter omnia, & in unum quasi uolumen conieci, argumento ex memorabili illo, ac pio Boromæi uoto ad inuisendam* SINDONEM *du-*

cto. Sed cui SINDONIS hunc meum libellum donem? dum cogito; non ipsi Duxi Maximo donare consilium fuit, qui prothotypo ipso beatißimus fruitur: Non item Cardinali grauißimo, qui semetipsum abÿciens, de se dicta solet respuere. Vos occurristis pÿ fratres, eo nati patre Philiberto Lamberto Patricio Camberiensi, cuius forti pietate, me puero præsente, olim è medÿs flammis inuiolata SINDON mirifice erepta est, ut hìc suo loco expreßimus, et in histori js fusius prosequemur. Quod igitur pater, auspice Deo in ipsa re potuit, uos digni patre filÿ, in eius repræsentatione per orbem terrarum propalanda, clarißimis nominibus uestris, ueluti geminarum alarum remigio præstabitis, nec me humi repere, aut ab æmulis calcari, uestra autoritate & benignitate permittetis. Valete. Ex Augusta Taurinorum, Calend. Ianuarÿ. M D LXXIX.


HERCVLIS PANCIROLII
RHEGIENSIS.

Corporis amplexu CHRISTI dignißima SINDON,
  Qua nihil in toto clarius orbe nitet.
Linum Arabum superas, medÿs quod in ignibus ardes,
  Non perit, at cultu splendidiore redit.
Tu flammis correpta manes illæsa, refersq;
  Effigiem, qua nil gratius esse potest.

TYPOGRAPHVS
AD LECTOREM.




RGVMENTVM vetus, & venerandum, opus nouum, & reconditum tibi profero. vti Pingonius noster Baro, antiqua quæq; scrutari solet, renouareque studet. Is nihil nisi a rubiginosis numismatibus, aut marmorum fragmentis, aut abstrusis, situq; plenis chartulis, obfirmatis tamen, atq; ex fide publica adfert in medium. Testes antiquitatum libri; immensę historiæ. Leges XII. tabularum suscitatæ, & alia innumera, quæ dies noctes congerit: Quæ vidimus, optamus, nec exorare possumus adhuc, vt nobis ædenda committat. Istud interea magna contentione, & Serenissimi Ducis Imperio, extorsimus. Additi sunt eius argumenti hymni aliquot, siue Odę, & epigrammata doctissimorum virorum. Adiunximus item Bullam insignem illam Iulij Secundi Pont. Max. quam ex authentico desumere licuit. Inserta est quoq; celebris Boromęi illius Cardinalis peregrinatio, a Francisco Adorno societatis IESV, singularis pietatis viro conscripta, vno fere tempore, quo è re nata describebat Baro, & licet diuersis in locis, uno sensu, una consonantia: Adeo ut nihil congruentius, nihil admirabilius siue conspici: siue concipi posśit. Quod laudatissimum, laudare meum non sit: meum potius sit, rogare te, Humanissime Lector, errata, quæ occurrent, humanę imbecillitati tribuas, quę nihil in rebus nostris perfectum patitur. Nec in nouo opere, vlla diligentia, cuncta sic ad vngem, vti manu scripta sunt, typis reddi queunt, effluunt literulæ, folijs Sibyllinis non absimiles, et plerunq; eorum opera vti cogimur, qui literas non callent. Imo uerò autores ipsi quantumuis oculati, sæpius in suis legendis cæcutire fatentur. Vnde accidit in secundis, et tertijs ęditionibus, fortunatiorem nostram euadere diligentiā. Vbiq; tamen synceritatem integritatemq; profitemur. Vale quando nostra boni consolueris.



Vidit Frater Dionisius
Cislagus, Theologus,
Ord. Præd.
Inquisitor generalis
Taurinen.






CAVTVM EST
PRINCIPALI
DIPLOMATE
NE QVISQVAM PHILIB.
PINGONII CVSIACENSIVM
BARONIS LIBROS, IMPVNE
CVDAT. AVT DISTRAHAT
INTRA DECENNIVM. PRAE-
TERQVAM CVI AVTOR
DEMANDARIT.


M. D LXXXI.




PACIFICVS, VICTOR, LOCVPLES:
FOVET, ORNAT, ADAVGET:
SCEPTRA, DVCES, ORBEM;
SINDONE, TORQVE, CRVCE.




VT·OẼS·CHRIANI·CVI·SALVTẼ·DEBENT·EIVS·ẼT·FORMÃ·QVA·INTER·HOMINES·VERSARI·DIGNATVS·Ẽ·AGNOSCERENT·SANCTÃ·SINDONEM·QVÆ·QVOTÃNIS·IV·NON·MAI·CAMBERII.
QVÆ·SABAVDORVM·METROFOLIS·EST·PVBLICE·VENERÃDA·PROPONITVR·ILLVSTRIVM·ET·REVERENDISS·FR·LAMBERTI·EP·NICIEN·PETRI·LAMBERTI·EP·MAVRIANEN·
·DECANI·SABAVD·AVSPICIIS·CAROLVS·MALLIANVS·ARCHID·BELLICEN·EOR·SOR·F·ÆNEIS·FORMIS·EXPRIM·CVRAVIT·ROMÆ·KL·IANCIↃ·IↃ·LXXIX·







PHILIBERTI PINGONII SABAVDI.

SINDON EVANGELICA.



ABORATVM est graui pestilentia annis superioribus, per maiorem Italiæ partem: Mediolano maximè malè cesſit: peiusq; timēdum fuerat, nisi tot, tantis populis, tantę, tamq; amplæ ciuitati fauiſſent Superi, & à Superis demiſſus CAROLVS BOROMEVS tituli ſanctæ Praxedis Cardinalis, & regionis Archiepiſcopus vigilantiſsimus opem ſedulam tuliſſet. Is opibus, quibus abundat, egentes leuare, præſentia ſua, morbo implicitos confirmare, oratione, qua pollet, & re ipſa, languentes paſsim erigere, Diuino etiam cibo reficere, nihil contagionis, aut periculi deuitare, nihil humile, aut minimum detrectare: quantum animo conniti, officio, & labore contendere poſſet, id omne ęqua omnium & vna ſalutis ratione exponere. Cumq; vetus fama inoleuiſſet, Camberij Sabaudorum Emporio, Sacroſanctam Sindonem religioſiſsime aſſeruari, ad quam nulli fruſtrà aduerſis temporibus confugiſſent: ille quoq;, vti vir eximiè religioſus, ac pius, ad ea vota confugit, & eò, pedes accedere, ſupplexq; ibi numen implorare, & venerari propoſuit. Quam rem, vbi Dux Emanuel Philibertus intellexit, non mo-

do excipiendi tanti viri, ſed etiam minuendi longi itineris, vel iniecto ipſis Tranſalpinis populis ſummo ſpectandæ Sindonis deſiderio cogitationem ſuſcepit. Itaque quamprimum Camberio, Taurinum aduehi Sindonem paucis arbitris (quaſi aliud agens, vti ferunt tempora) demandat, Comitante viro grauiſsimo Ludouico Millieto Fabricarum Barone, Sabaudi Senatus ſummo Præſide, qui paulo ante, ad fœdus Helueticum feriendum ſolenniter à Duce aſcitus fuerat.

Tunc forte Dux in Lucenti Caſtellum ad primum ab vrbe Taurina lapidem, ſeceſſerat, qui ad ſe primò allatam Sindonem magna cum veneratione proſtratus excepit. Hoc Nonis Septembris, anni huius ſeculi LXXVIII: atq; ad XVIII. Calend. Octobres Taurinum adducere diſtulit. Quo die exaltationi Crucis ſacro, nihil ad pietatis cæremonias pręętermiſſum fuit. Namq; Taurinenſis Archiepiſcopus HIERONIMVS RVVERIVS, LVDOVICVS GRIMALDVS, Vencienſis, FERDINANDVS FERRERIVS Eporedienſis, DOMINICVS RVVERVS Aſtenſis, CAESAR GROMIVS Auguſtenſis, Epiſcopi, veſtitu Pontificio, thyaraq; redimiti, velut alteram arcam fęderis, eam, qua Sindon includebatur, thenſæ impoſitam comportabant, veluti ſtolis, inſtitisq; pendentibus. Circum verò quatuor ciuitatis proceres explicatum cadurcum ſublime ſuſtinebant, ſpectata longo ordine Sacerdotum pręcentione; Hos ſequebantur Dux; Ducisq; filius CAROLVS EMANVEL Pedemontium Princeps, & aliquot ſanguinis Principes, Apoſtolico ſimul Nuncio, OCTAVIO Sanctacrucio, Epiſcopo Ceruienſi, Et Oratore Veneto MATHEO ZANEO ipſi Duci aſtantibus, magna nobilitatis, & populorum ſerie inſequente: qui obſecrabundi omnes, à Palatina porta, per ornatas tapetibus vias, in Diui LAVRENTII ædem, precioſas ſalutis humanæ reliquias deduxerunt, & in delubro repoſitas ſolenni pręcatione ab Archipreſule facta, vt ſalubriter

briter

briter, vt proſperè, ac fęliciter rei Chriſtianę omnia ſuccederent, effuſi omnes, omnibus lęticijs, vtroq; genu procumbentes, æquè ſunt venerati. Denunciata mox ea re, incredibile eſt dictu quot hominum millia in hunc locum ſpectandi tanti miraculi gratia, concurrerunt. Heluetijs Oratoribus, Lucernenſi inquàm, Vranienſi, Suitenſi, Vnderualdenſi, Tugienſi, Friburgenſiq;, admiranda religione perfuſi ſunt animi, quando ſeorſum III. Cal. Oct. poſt fœdus anteriore die cum Duce ictum, Sindonem ſuſpicere impetrarunt: omne profectò Catholicę, Romanęq; Religionis ſpecimen ędiderunt. Interea Boromeus, pedeſtri itinere aduentare fertur, ſelectis ſecum aliquot inſigni ſanctitate viris, quorum hæc ſunt nomina.
Io. Franciſcus Bonhomeus Epiſcopus Vercellenſis.
Franciſcus Adornius ſocietatis IESV.
Iacobus à Cruce eiuſdem ſocietatis.
Io. Petrus Stoppanus Seminarij Mediolanen.
Franciſcus Bernardinus Cribellus Canonicus Metrop. Med.
Octauianus Ferrerius Canonicus Mediol.
Io. Baptiſta Caimus Canonicus Mediol.
Ludouicus Moneta presbiter.
Antonius Seneca I. C.
N. Caſtanus I. C.
Camillus Caſtellanus I. C.
Hercules N. notarius.
Iulius Homatus.
Iulius Brunetus.
Ambroſius Buimius Magiſt. Cremon.
Et Franciſcus Linus Sabaudiæ Ducis à ſecretis, ad deductionem deſtinatus.

Cardinalis verò ita ſibi, & ſuis omnibus toto eo itinere, horas ſingulas diſtribuerat. Hora ſaltem XI. euigilandum; exſurgendum, contemplationi, orationi, pręparationi ſtuden-

dum. XII. ad rem Diuinam, & communionem singulis diebus incumbendum: quo facto, matutinum iter quanto citiùs carpendum: itineris comites sint meditationes sacrę, tum alternis vocibus psalmi, hymniq; recitentur, de rebus deniq; diuinis colloquia misceantur. Horam XVIII. cibo dari voluit, si ad hospitium peruenisse daretur, Numine prius in vici, vel municipij templo salutato, post sobriè curatum corpus, ad animi dapes redeundum esse; hymni, psalmiq; decantandi, subsequentibus pijs sermonibus. Hora XX. cępta via prosequenda, septem psalmi pœnitentis Dauidis vltrò citroq; repetendi. Hora XXII. obsecrationibus singuli vacabunt, donec in hospitium peruenerint, adito imprimis templo, gratijsq; Deo peractis; ad psalmorum inde status numeros se conuertant, donec pensum diurnę seruitutis Deo persoluerint. Hora noctis secunda semis, ad cœnam se conferant, qua frugaliter sumpta, hymnoq; dicto, ad semetipsum quisq; cogitabundus redibit, vt si quam labem ea die contraxerit, examine diluat, & pœnitentia. Ad extremum, benignè quisque à Cardinalis manu dimissus, ad quietem hora ad minimum quarta se conferet, vt à vegetioribus resumatur subsequentis diei labor.

Hæc fuit IIII. dierum memoranda peregrinatio, vt alia sanctimoniæ argumenta prætercam; illud maximè, quo apparatus opiparos fugiebat Oppidorum: Quale illud Clauasij; atq; in Syluam potius, locaq; deserta diuertebat, & humi secum accumbere frequentiam hominum (qui eum vel inuitum sequebantur) iubebat, & vtroq; cibo, intus, & extra vera CHRISTI imitatione pascebat. Sed memorandus magis, admirandi illius viri fuit in vrbem ingressus, VII. Id. Octob. Dux ipse & Princeps, magnatesq; quotquot aderant, ei obuiam longè processerunt, pedibusq; simul ingressi in ædem D. Io. Baptistæ Metropolitanam primum, deinde ad D. Laurentij templum deduxerunt. Videre erat vadentes binos, fusco

amictos

amictos pallio, ſcipioni innixos, macilenta facie, abraſa barba, demiſsis oculis, aut quandoq; in cœlum erectis, muſsitantes, & mixta interdum ſuſpiria trahentes, nihil mortalis prę corpore, Diuinitatem ipſam toto pectore ſpirantes. Nouiſsimus aderat Cardinalis, ad Ducis dexteram, humanitate ipſa humanior, vel ipſo vultu liberali, licet pallido, ſanctimoniam omnem præſeferens. Ad templum vbi peruentum eſt, & in edito ſanctuario ſpectata Sindonis arca, quas preces vir ille fuderit, quæ vota ſoluerit, eſto Superum nouiſſe, non meum vt ipſe explicem. Sequenti die ad Diui Ioannis proximum fanum delata eſt Sindon, quæ Cardinali, ſuisq; ſpectanda exhibetur; nouem ſuſtentantibus Epiſcopis. Eadem poſtridie frequenti populo ad arcis ampliſsimam aream magno cum apparatu bis propoſita eſt. Hi, qui Præſulum aduenerant, munus illud aſsiduè peregerunt.

Ipſe Boromeus Cardinalis.

Guydo Ferrerus ſanctorum Viti, & Modeſti Cardinalis Vercellenſis.

Octauius Sancta Crucius Epiſcopus Ceruien. Nuncius Apoſt.

Hyeronymus Ruuerius Archiepiſcopus Taurinen.

Ioſephus Parpalia Archiepiſcopus Tarentaſien.

Ludouicus Grimaldus Ventienſis Epiſcopus.

Hyppolytus Rubeus Papienſis Epiſc.

Io. Franciſcus Bonhomius Vercellenſis Epiſc.

Cęſar Gromius Auguſtenſis Epiſc.

Cęſar Ferrerius Sauonenſis Epiſc.

Io. Maria Taparellus Salutienſis Epiſc.

At vir ille maximus, quodam Diuino ardore magis ac magis inflammatus, tale ſpectaculum concelebrare iugi quadraginta horarum oratione cogitauit; quod eo horarum numero CHRISTVS intra triduum ſepulchro recubuerit, & quadrageſimo à reſurrectione die, ad Cęlum aſcenderit. Theatrum

erigi

erigi curauerat Dux, adlaborante Archiepiſcopo, in eam rem commodiſsimum, nec minus inſigne, in æde D.Ioã. Baptiſtæ, ſublimiore facie. Ara ibi conopęo, velarijs, & ſplendidis aulęis ornata aſſurgebat, Arę, venerabilis arca ſuperimminebat, reconditum illum theſaurum continens. Circum ſuffitus odoriferi, faces, & lampades innumeræ, in varias lineas, & ſpecioſam ſeriem diſpoſitæ, maieſtatem quandam eminus repręſentabant, & ex ipſa auguſta ſpecie, cunctorum vndiq; animi accendebantur. Accedebant Phonaſcorum modulamina, & dulces, proprijq; puerorum ſoni, à quibus vox quaſi Angelica ex adytis prodire ſentiebatur. Accurrebant piarum ſocietatum chori, per ſingulas horas, ſinguli, inſiſtebantq; pręcationibus die, noctuque, nec prius deſiſtebant, quin aduenientem alium cœtum in locum ſubſtituerent. Ad Sanctuariũ verò, aut ipſe Dux ſępius, filiusq; Princeps, & ex patruele fratre Iacobo Duce Nemoroſij, nepos Carolus Princeps Gebeneſij inuigilabant, aut torquati ſupremi ordinis equites (quos Annunciatæ vocant) Amedeus à Sabaudia Sanramberti Marchio, Philippus, & Claudius à Sabaudia fratres Raconiſij & Pancalerij reguli, Philippus Ateſtinus Burgomanerij Marchio, Andreas Prouãna Lęniacus Fruſaſci comes, Federicus Ferrerius Caſauallonus Romagnani marchio, Thomas Isuardus Simfredi Comes, Franciſcus Martinengus Malpagę Comes, Aeneas Pius à Sabaudia Saſſoli regulus. Mauritiani quoq; Lazareiq; equites ſubrubris togis amicti, virenti candidaq; cruce inſigniti, diurnas, nocturnasq; vigilias, ſuo quiſq; tempore, in ipſo Sanctuario, bini aliquando, aut quaterni obierunt. Cęremonijs præerat Io. Baptiſta Viallius Calcaneus Prothonotarius, vir ſi quis alter, accuratę diligentiæ. Equitum nec ſilere decet nomina, præter eos ſupręmi ſodalicij, qui hac etiam Mauritiana religione ac militia cum Duce præfulgent.

Aſca-

Aſcanius Bobba.
Sylla Rotarius.
Carolus Prouanna.
Ant. Georgius Prouanna.
Franciſcus Cappin.
Vianeſius Albergatus.
Flaminius Auogadrus.
Gaſpar Aſchierus.
Ludouicus Godius.
Ludouicus Batianus.
Bonifacius Oſegnę Comes.
Chriſtoforus Talicarneus.
Paulinus Mamfredus.
Pompilius Bencius.
Sancius Salinas.
Ferdinandus Scalia.
Stephanus à Burgo.
Federicus Morandus.
Paulus Craſſus.
Federicus Agabitus.
Annibal Rauoria.
Carolus Franciſcus à Lucerna.
Gaſpar Purpuratus.
Alexander Pelleta.
Gonzalus Salinas.
Alexander Viualda.
Gullielmus Vialardus.
Ambroſius Arcator.
Octauius Scalingius.
Ioſephus Benati.
Iulius de Coſtis.
Petrus Torta.
Franciſcus de Laleæ.
Proſper Carretus.
Carus Saminiatus.
Carolus Emanuel Pingonius, fil.
Andreas Ferrerus.
Io. Baptiſta Saminiatus.
Alexander Doria.
Andreas Canalius.
Philibertus Bobba.
Franciſcus Daerius.
Franciſcus Vaucus.
Marcus Nazarus.
Bartholomeus Capo.
Petrus Maria Auogadrus.
Paulus Loſa.
Antonius Verna.
Titio Camilla.
Io. Baptiſta Scotia.
Io. Baptiſta Craueta.
Aſcanius Mocetus.

Porro interpoſitis poſt horæ ſpacium precationibus, meditationibusq;, è ſuggeſtu prodibant verbi Diuini oratores grauiſsimi, qui ſumpto mortis CHRISTI, & Sindonis, & ſepulchri argumento, conſeſſu frequentiſsimo, cui ſupplere vox nequibat,

quibat,

quibat, nunquàm ſatis dixiſſe poterant, vel templi lapides, & fornices mouebant, lamentis & planctibus omnia miſcebant: nullus non iam reſipiſcere apud ſe conſtituerat, vtinam ita perſeuerare omnibus eueniat. Hi fuere ſacri concionatores, ſiue Eccleſiaſtes.

Cardinalis Boromeus, qui ter concionatus eſt.
Cardinalis Ferrerus, ſemel.
Hieronymus Ruuerius Archiepiſc. Taurinen. ter.
Ioſephus Parpalia Archiepiſc. Taren. ſemel.
Ludouicus Grimaldus Venciensſis, ſemel.
Io. Maria Taparellus Saluciensſis, ſemel.
Io. Franciſcus Bonhomius Vercellenſis, ſemel.
Cæſar Gromius Auguſtenſis, ſemel.
Cæſar Ferrerius Sauonenſis, ſemel.
Franciſcus Adornius Prouincialis ſocietatis Ieſu, quater.
Ambroſius Barbauarius Dominicanus Theologus, ſemel.
Petrus Chriſtinus Theologus & ſacerdos diui Mauritij, & Lazari, bis.
Annibal Sancius Vrbinas Franciſcanus Mediolanenſis regens Theologus, bis.
Io. Baptiſta Caimus Canonicus Mediolanen. ſemel.
Iacobinus Meliarinus Canonicus Taurinen. ſemel.
Iacobus à Cruce Ieſuiſta, bis.
Lælius Biſolus Ieſuiſta, ſemel.
Io. Antonius Craſſus Ieſuiſta, bis.
Dominicus Mediolanenſis Dominicanus, ter.
Bernardinus Ruffinatus Dominicanus, bis.
Antoninus Germonus Dominicanus, ſemel.
Io. Senenſis Franciſcanus, ter.
Paulus Camaldulenſis Belga, ſemel.
Laurentius Mittanda Cuneas, bis.

Atq;

Atq; ita perpulchrè pieq;, Taurini, raro exemplo, quadraginta conciones habitæ sunt, & quadraginta horę exactę, III. Idus Octobris. Neq; hominum memoria, frequentiores populi huc affluxerunt, neq; religionis vis maior apparere potuit: ipso Cardinali teste, qui postridie hinc æquius admodum, ac iucundius expleto animi desiderio discedens, nunq̃ satis sacram Sindonem extollebat, has Ducis diuitias commendabat, & patriæ fęlicitati bene pręcabatur.

Sed quorsum hæc tanta (inquiet aliquis) ad huiusce Sindonis commendationem? quasi vero nescias, quot & quibus calumnijs eam ex aduerso incessant maleuoli homines, quibus fęcula nostra abundant. Non esse hanc inquiunt Euangelicam Christi Sindonem, quin ex ipsa Euangelij historia, oppositum potius constare. Quorum adeò importunis latratibus, nisi occurratur, frustrà tot hominum religionem ad eam inuisendam, vndiq; concurrentium à nobis iactari. Agedum eorum nugas veluti ridicula quædam histrionum figmenta pijs, & eruditis viris floccifacienda monstremus: tamq; abesse, vt sacra Euangeliorum lectio contra hanc sacram Sindonem pugnet, vt confirmet potius, atq; consolidet. Itaq; eorum Achillem iam audire præstat. Aiunt à B. Ioanne, *Christum Linteis ligatum cum aromatibus sepultum fuisse sicut mos est Iudęis sepelire.* Qui mos, ab eodem Ioanne in Lazari tumulo aperitur, his verbis. *Et statim prodijt qui fuerat mortuus, ligatus manus, & pedes, institis; siue fascijs sepulchralibus. Et facies illius Sudario erat ligata:* De CHRISTO item sic ait. *Vidit linteamina posita, & Sudarium quod fuerat super caput eius non cum linteaminibus positum, sed separatim inuolutum in vnum locum.* Si igitur Iudæorum ritu sepultus est, qui Aegyptios quamproximè imitabantur (apud quos tot annos vixerant) vt scilicet primum ablueretur cadauer, aromatibus condiretur, ligaretur fascijs, siue panniculis, aut insectis loris, quæ τὰ ὀθόνια dicuntur. Idq; per manus & pedes, cęterosq; artus,

In Ioanẽ Caluinũ & hęreticos asseclas.
Io. 19. c.
Ioan. 11.
Ioan. 20.
Genesis c. 50.
Cornelius Tacitus libro 21.
Herodotus li. 2. Euterpe.
Iosephus de bello Iudaico.

excepto capite, quod sudario tantum obtegebant, cum fasciјs obuinciri commodè non posset, quî potuit Sindon ex eo more applicari? aut si iam pollincto, & exornato corpori superiniecta est, has neutiq; humani corporis impressas notas retinere potuit, tum propter fascias illas intermedias, tum propter sudarium capiti circumiectum. At viderint illi perspicacius quid Mathęus Euangelij scriptor clarissimus, post Crucis supplicij descriptionem, de Sindone loquatur, his verbis, quæ exscribere non pigeat, Et dum illi legent, quid simus responsuri animaduertamus. *Cum autem sero factum esset, venit quidam homo diues ab Arimathęa, nomine Ioseph, qui & ipse discipulus erat* IESV *hic accessit ad Pilatum, & petijt corpus* IESV, *tunc Pilatus iussit corpus reddi, & accepto corpore Ioseph inuoluit illud sindone munda, & posuit illud in monumento suo nouo, quod exciderat in petra, & aduoluit saxum magnum ad ostium monumenti, & abijt*. Et quę sequuntur Cum Mathęo, Marcus conuenit, in hęc verba. *Et cum iam sero factum esset, quia erat Parasceue, quod est ante Sabbatum, venit Ioseph ab Arimathęa, nobilis Decurio, qui & ipse expectans regnum Dei, & audacter introiuit ad Pilatum, & petijt corpus* IESV: *Pilatus autem mirabatur, si iam obijsset, & accersito Centurione, interrogauit eum, si iam mortuus esset, & cum cognouisset à Centurione, donauit corpus ipsi Ioseph. Ioseph autem mercatus Sindonem, & deponens, eum inuoluit Sindone, & posuit eum in monumento, quod erat excisum de petra; & aduoluit lapidem ad ostium monumenti*. Lucas verò sic ait. *Et ecce vir nomine Ioseph, qui erat Decurio vir bonus, & iustus qui expectabat & ipse regnum Dei: Hic accesit ad Pilatum & petijt corpus* IESV, *& depositum inuoluit Sindone, & posuit eum in monumento exciso, in quo nondum quisquàm positus fuerat*. Paulo pòst sequitur. *Petrus autem surgens cucurrit ad monumentum, & procumbens, vidit linteamina sola posita, & abijt, secum mirans, quod factum fuerat*. Ioannes verò distinctius persequitur. *Post hæc autē rogauit Pilatum Ioseph ab Arimathęa (eo quod esset discipulus* IESV,

Mat.27. cap. — *Mathęi. 15.* — *Luc. 23.* — *Luc. 24.* — *Ioan. 19.*

occultus autem propter metum Iudæorum) vt tolleret corpus IESV, *& permisit Pilatus. Venit ergo, & tulit corpus* IESV. *Venit autem Nicodemus, qui venerat ad* IESVM *nocte primum, ferens mixturam Myrrhę, et Aloes, quasi libras centum: acceperunt autem corpus* IESV, *& ligauerunt illud linteis, cum aromatibus, sicut mos est Iudæis sepelire.* Paulò post subiungit. *Exijt ergo Petrus, & ille alius discipulus, & venerunt ad monumentum: currebant autem duo simul, & ille alius discipulus* (de se Ioannes loquitur) *præcurrit citius Petro, & venit primus ad monumentum, & cum se inclinasset, vidit posita linteamina, non tamen introiuit. Venit ergo Simon Petrus, sequens eum, & introiuit in monumentum, & vidit linteamina posita, & Sudarium quod fuerat super caput eius, non cum linteaminibus positum, sed separatim inuolutum in vnum locum.* Hæc sanè omnium ex quatuor Euangelicæ veritatis architectis: quæ (ni fallor) viam nobis latissimam aperiunt ad sciolorum, atq; impiorum friuolas obiectiones euertendas. Nunquid enim non conueniat (ne rem longius arcessamus, & sacra sacris potius intexamus) CHRISTVM mortuum, duos nobilissimos habuisse pollinctores, vnum Iosephum Arimathensem Decurionem, assiduum, siue diuitem; Alterum Nicodemum, itidem virum pium: emptamq; à Iosepho Sindonem mundam, à Nicodemo aromata, Aloes & Myrrę: Sindonem, vt depositus de Cruce CHRISTVS illico tegeretur, inuolueretur, honestè exciperetur: donec de sepultura & apparatu prospectum esset, & inuolutus in monumentum deferretur: Aromata autem vt postquam delatus esset in hortum, ad fores monumenti, ritè lauari, inungi, linteis, siue ligaminibus, aut fascijs, quæ ὀθόνια iamdiximus, obligari posset. Atq; ita vtrunq; subsistet, & Sindonis veritas, & sepulturę ritus. Neq; certè pollinctura eo loci, satis commodè, aut honestè ab officiosissimis viris peragi potuit, neq; satis tutè, cum maximè Iosephus dicatur à Ioanne occultus fuisse CHRISTI discipulus, propter metum Iudęorum. Igitur di-

Ioan. 20.

ſtinctè vt dicamus, hunc ſepulturæ apparatum, hoc ordine rectè expoſuerimus: vt Ioſeph primò corpus IESV è Cruce receperit: Secundò receptum hac Sindone inuoluerit, ſeu contexerit potius: Tertiò ad oſtium monumēti delatum, vnguentiſq; delibutum, alijs linteis ad hoc ipſum paratis circumuoluerit, ſicq; ligatum atque inunctum patriæ more ſepulchro condiderit. Quis enim veroſimilimum non dicat, Ioſephum non aliter mundam Sindonem mercatum fuiſſe, quam vt Sacroſanctum corpus de Cruce depoſitum, ſtatim exciperet, totumq; à capite ad pedes, ad decorem & reuerentiam obnuberet? Quare rem ſic ſe habuiſſe dixerimus. Sindonem hanc pedes circiter XII. longam, tres latam, & eo amplius, ſtratam, extenſamq; primùm humi, aut in apparata tabula fuiſſe, tum de Cruce refixum, deductumúe, medio linteo ad tabulam, ſuperimpoſitum, deinde Sindonem reliquam, à capite ad calces reiectam, & toti corpori accommodatam, atque ita elatum, & in monumento poſitum. Inde facilè contigit, vt corpus flagris, ſentibus, plagiſq; acerbiſsimis recens ſaucium, eductis clauis, cruore fluens, tabo, ſudoreq; madens, refricatis ex agitatione corporis vulneribus, ex vuido intinxerit, ſingula impreſſerit, & ipſammet formam in Sindone repreſentauerit, concurrentibus circa medium linteum verticibus, complicatis manibus, & pedibus ad vtramq; oram hinc inde protenſis, vnde auerſi, & aduerſi hominis adumbratam effigiem, & integram ſymmetriam, quaſi quibuſdam deſcriptis de lineamentis deprehendas, prǽſertim ſi ex obliquo captato figurę lumine, remotis facibus intueare: vt videre eſt, nonmodo contemplari: argumento ab effectu, & re ipſa validiſsimo. Et profectò agnoſcuntur quæ veteres Theologi de CHRISTI effigie monumentis tradiderunt. Hæc Nicephori Caliſti antiquiſsimi Gręci verba ſunt.

Nicephorus lib. 1. cap. 40.

Egregio is viuideq; vultu fuit, Corporis ſtatura ad palmos prorſus

sus septem, Cæsariem habuit subflauam, ac non admodum densam, leuiter quodammodo ad crispos declinantem, Supercilia nigra, non perinde inflexa, Ex oculis subflauescentibus mirifica proueniebat gratia, Acres ij erant, & nasus longior, barbæ pilus flauus, nec admodum demissus, Capitis porro capillos tulit prolixiores, nouacula enim in caput eius non ascendit, neq; manus aliqua hominis, prȩterquàm matris in tenera duntaxat ȩtate. Eius collum fuit sensim decliuè, ita vt non arduo & extento nimium corporis statu esset. Porrò tritici referens colorem, non rotundam, aut acutam habuit faciem, sed qualis matris eius erat, paulum deorsum versum vergentem, ac modicè rubicundam: grauitatem atq; prudentiam cum benignitate coniunctam, placabilitatem iracundiȩ expertem præseferentem; Persimilis denique per omnia fuit Diuinæ & immaculatæ suæ genitrici. Hactenus Nicephorus: Qui lentuli Romani in Iudæa magistratum gerentis epistolam ad Senatum imitatus videtur, cuius hæc verba sunt. *Apparuit temporibus istis homo magnæ virtutis nominatus* IESVS, *qui à gente Propheta dicitur; quem eius discipuli filium Dei vocant, suscitans mortuos, sanans omnes languores: Homo quidem staturȩ procerȩ mediocriter, & spectabilis, vultum habens venerabilem, quem intuentes possunt diligere & formidare, Capillos habens coloris nucis auellanæ prȩmaturȩ, & planos ferè vsq; ad aures, ab auribus vero cincinnos, crispos, aliquantulum ceruleos, & fulgentiores ab humeris ventilantes, discrimen habens in medio capitis, iuxta morem Nazareorum, frontem planam, & serenissimam, cum facie sine ruga & macula aliqua, quam rubor moderatus venustat: nasi & oris nulla prorsus est reprehensio.* B*arbam habet copiosam, & intonsam, capillis concolorem, non longam, sed in medio bifurcatam: Aspectum habet simplicem & maturum: oculis glaucis, varijs, & claris existentibus, In increpatione terribilis, in admonitione blandus, & amabilis, hilaris, seruata grauitate. Qui tamen nunquam visus est ridere, flere autem sȩpius. Sic in statura corporis propagatus, rectas manus habens, & brachia, & omnia visu delectabilia, in colloquio grauis, rarus, & modestus, speciosus inter hominum filios.*

Antoni⁹ Eps Florentin. in chronico ex Eutropio, in annalibus.

CHRI-

Lib. Augusta Taurinorū.

Christi quoque numiſmata antiquiſsima aliquot, adhuc extant; Et ęneum vnum magno labore conquiſitum, in meis pluteis conſeruo, quod alibi fuſius expoſuimus.

Ex antiquiſsimo numiſmate.





Huic quoq; Sindoni non parum gloriæ tribuit Nicodemi Euangelium: quod licet inter apocrypha ſit, credendiq; neceſsitatem non imponat, pietatem tamen inducit, nec eſt inutile. Aſſerit enim Ioſephum ea Sepulturæ nocte à Iudęis in vincula fuiſſe coniectum; Christumq. ſibi apparuiſſe dixiſſeq;. *Noli timere Ioſeph, reſpice me, ego ſum* Iesvs, *quem tu ſepeliſti, & tenens manum meam deduxit ad locum vbi ſepeliui eum*; *Et oſtendit mihi Sindonem, & faſciale in quo caput eius inuolui*. Et quæ ſequuntur. De Sindone quoq; Iuuencus presbyter, qui ſub Conſtantino magno Anno cccxxx. floruit ſic cecinit.

Ex Vincentio hiſtor. lib. 7. ca. 56. Et Euangelio Nicodemi.

Conceſſit Preſes, ſed corpus fulgida lino.
Texta tegunt, ſaxiq; nouo componitur antro.

Iuuēcus lib. 4. Euāgelicæ hiſtoriæ.

Nec multo poſt, ſub Theodoſio Anno ccccxxx. Sedulius eousq; Sindonem extollit, vt ex ea reſurrectionem verè probari affirmet hoc carmine.

Cuius iacet intus amictus?
Cuius ad exuuias ſedet Angelus?

At inquiunt, quî plaga lateris in ſiniſtram partem in hac Sindone cernitur? quæ plaga dextrum verſus illata fuit. Id quod tamen à Ioanne non exprimitur cum ait, *vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuo exiuit ſanguis & aqua*. Id nihi-

lomi-

hilominus non diffitear, vt dextra per ſiniſtram hic indicat: quemadmodum impreſsi ſigilli typus aliud latus referre ſolet, & quod in vno dextrum, in alio ſiniſtrum, ipſa ſui reuerſione appareat. At verò iſti vlterius commouere inuidiam & diſsidia miſcere cum alijs Regionibus ſatagunt: Aliam videlicet Sindonem in Burgundia Biſuntinos habere, aliam in Luſitania Turdetanos iactitare, vt quoque Germania apud Traiectum ſibi ſuam tribuit, ac proinde ex eo conflictu vanas eas omnes vnà cum Sabauda reddere contendunt. Illis populis, qui ſuas tueantur, iuſta arma non deerunt, prȩter hȩc Euangelij firma propugnacula, cum plura fuiſſe linteamina exprimatur, vt vero eſt ſimile, matronas ſollicitas, cum Ioſephi Sindone alia (vt prȩdiximus) cōtuliſſe lintea, quȩ aliquas etiam notas cruoris & ſudoris imbiberint. Quòd alij blaterant, non hanc tandiu potuiſſe Sindonem integram conſeruari, corrumpi linum, intextaq; omnia tempore. At non fruſtra cecinit Diuinus vates. *Nec dabis ſanctum tuum uidere corruptionem.* cum hic pars corporis ſacroſancti inhȩreat, ac proinde corruptionis expers, acceſsioni cedente materia: Nec ideo eam adorandam ambigendum eſt, ex ipſius vatis ſententia, cum ait, *adorabimus in loco vbi ſteterunt pedes eius.* Quid ſi (inquiunt) reſurrexit, nulla pars corporis in terris remanere potuit, ac proinde ſanguis qui creditur, non Chriſti erit, qui ad Cȩlos integer aſcendit. Verum ignorant Reſurrectionis veræ, membra ea eſſe potiſsima, quæ ad compoſiti abſolutam conſtitutionem pertinent, non verò minutiſsima quȩq;, & excrementorū huiuſmodi ſpecies: alioquin abſurda plurima ſequerentur. At illi aiunt, Quin potius pictura hȩc eſt, arte elaborata. Sed ſi propius intueantur (quod vel pictorum nullus artificumq; ibit inficias) nulla id arte opus aſſequi, nullo imitari penicillo, nullis coloribus exprimi, fingiúe poſſe fatebuntur. Diuinus enim ſplendor, ſe non depingi patitur, metiri, aut aſſequi: imo ex ipſo

intuitu,

Pſalmo. 15

Pſalmo. 131.

Ex Diuo Thoma Aquatȩ. &c.

intuitu quædam de repente ſubit admiratio ſub oculorum acumen, Thaumantię maior: & animum reuerentia, feruorq; mouet, vt demiſſam ab alto Diuinam pręſentiam adeſſe ſentias. Huc attinet Abagari Edeſſenorum Principis hiſtoria, Qui eo quo in CHRISTVM tenebatur deſiderio, perculſus, Pictorem eximium ad eum miſit, ſed opus cœptum, quòd non ſuccedere potuerit, ipſa coruſcans Diuinitas impedimento fuit: fauere nihilominns pijs votis CHRISTVS voluit, & admoto capiti linteo, faciem ad viuum expreſſam reddidit, quam ad Abagarum Principem miſit. Quemadmodum verò integra effigies hac in Sindone de CHRISTI corpore expreſſa, ad Sabaudos Principes non immeritò tandem peruenerit, hoc nunc potiſsimum expectari ab omnibus ſentio. Quis progreſſus ab eo tanto tempore, quæ cura, quę ſollicitudo conſeruandę tantę rei, tanti operis, & pretij. Primum certiſsimis coniecturis, quarum aliquot attulimus; piè in tantis temporum inuolucris, credendum veniet. Alterum tabulis indubitatis, & monumentorum publica fide in aperto erit omnibus. Cum igitur Petrus, Eccleſiæ caput & Princeps à CHRISTO deſignatus, monumentum vacuum introire non extimuit, viditq; Sindonem & linteamina, necnon Sudarium: quis dubitet hęc non neglexiſſe, quin ſollicitè ſecum aſportaſſe? Ioannem item vię comitem tantarum exuuiarum partem exquiſiuiſſe, & impetraſſe? aut cęrtè Ioſepho, tanq̃ ſepulchri Domino, & Nicodemo benemeritis de CHRISTO diſcipulis, omnia vti decebat conſignata fuiſſe? Deniq; has diuinitatis diuitias, & incomparabilem theſaurum, ſemper ad viros principes, & potentes rerum, quaſi per manus traditum, commendatum, in magno pretio, honoreq; habitum, & religioſè conſeruatum. Hinc ad Hieroſolymitanos reges perueniſſe non ambigam, Chriſtianiſsimis maximè ex Gottofredi Bollioni gente, qui Gallorum primus anno ſalutis M X C VIII. Hieroſolyma expulſis Saracenis

Euſebius lib. 1. ca. 13. Nicephorus li. 2. cap. 7. ex archiuis Ciuitatis Edeſſę.

racenis potitus est, & ad Lusinianos Hugones, Guidones, Henricos, Ianos, & alios Reges cum Cyprio diademate transmisit. Cuius stirpis rex vltimus Ioannes, Iani filius, sororem habebat Annam Ludouico Sabaudiæ Duci collocatam, anno MCCCCXXXII. a qua Sabaudiæ Duces sunt editi. Ioanni item regi filia fuit vnica, & hæres Charlota, quę anno MCCCCLVII. nupsit Ludouico Ludouici Ducis filio, necessitudinis vinculo à Nicolao V. Pont. max. non abs re laxato: Hinc Sabaudus, Rex Cypri salutatus. Sed vt ad rem propius, Dum anno MCCCCLVIII. Orientis Imperij sedes vi, & armis, à Mahumete Turcarum rege expugnaretur, cęde omnia diriperentur, & vastarentur, Constantinus Palęologus ipse truncatus capite, regni, simul & vitæ finem fecisset, nihil in Gręcia, nihil in Asia, aut Syria tutum restaret, aufugerent omnes atrocissimi tyranni crudelitatem; Illustris quædam matrona Margarita à Carni nomine, sarcinis collectis, inter quas hanc raram Sindonem reposuerat, Gręcia mouere, cœlumq; mutare constituit, atq; in Galliam proficisci. Hanc à regibus Hierosolymitanis prodijsse ex eo constat, quod Hierosolymitana in historia Cypria vocetur, nupta Hectori Lusiniano Philippi filio: quibus omnibus tempora conueniunt. Carnim autem denominatam puto, quod Carinæ vrbi Ioniæ in Asia minori, dominaretur: aut Carnę Aolidis, siue à Carnę oppido Phęniciæ, quod ad montem Libanum reponitur. Burgundam alij ferunt, quod eius nominis illustris ibi sit familia, siue in Asiam illa migrarit, siue ab Asia in Gallias deducta fuerit. Vbi ergo in Italiam Carna appulit, & magnis itineribus Alpes superauit, Camberij (quæ Sabaudiæ Ducum regia est) à Ludouico & Anna Cypria Ducibus, splendidissimè, vt tantam principem matronam & affinem decebat, excepta est. Quibus tandem hoc Sacrosanctum Sindonis munus, discedens non sine magnis obsecrationibus contulit. Quid verò intercesserit, quid donationi cau-

Ex archiuo Sabaudo.

Matthęus Palmerus in chronico.

Ex historia Cypria Stephani Lusignani: & arbore gentis Lusignanę.

Stephanus de vrbibus.

Plin. lib. 5. ca. 20.

Ex donationis tabulis actis Camberij 22. Mart. anno 1452.

ſam dederit, non hoc loco abſonum ſit paucis enarrare. Inſtru
ctiſsima ad longum viaticum omnia Princeps illa habebat,
Equitatus, muli doſſuarij, Ciſtę ſigna, vaſaq; ſuppetebant, nec
æs ingens deeſſe videbatur, liberalitate ipſa teſte, quam erga
Ex ueteri tabella Sindonis tēplo affixa, & notis Petri Pingonij proaui. omnes exercebat. His copijs fures allecti, negligentiore Gręco famulitio, ſcrinia aliquot effringunt, & nocte intempeſta quantam poſſunt ſupellectilem ſubducunt, inter quam veneranda Sindon capſula deaurata includebatur. Cęterum fures dum rapta inter ſeſe partirentur, nec iſti ſatis demirari poſſent elegantem Sindonis texturam, nulli telarum comparabilem, hanc per medium abſcindere ſtatuunt. Sed forfices tenenti, tentantiq́;, contortæ ſunt manus, conuerſumq; protinus collum, & quaſi clinicus obſtupuit: Alter, vſurpato ſibi integro linteo, dum ſudoris, & cruoris humani ſtigmata vndis abluere conatur, vt res venalior redderetur, eo magis vtraq; pars hominis impreſſa apparebat. Cuius radijs etiam, vtroq; eſt orbatus lumine. Interea pręconis voce per compita graue ſupplicium receptatoribus indicitur: at furtum indicantibus, aut reſtituentibus, non modo impunitas, ſed pręmium promittitur. Ipſa quoque Carna reddito ſolo ſibi Linteo, cętera quamuis pręcioſa, munificè concedebat. His rebus adducti prædones, furto reſtituto, religione ſe exoluunt, & ad pœnitentiam ſtimulati, voto ſoluto, ſalutem pręſentiſsimam conſequuntur. Nullus non lętitia ſingulari affectus eſt, & Principi matronę à noſtris Principibus impensè gratulatum eſt, de inſigni inuenta Sindone. Deniq; maiori in veneratione haberi cœpit, ob factum Diuinitus in reſipiſcentium pręedonum gratiam miraculum. Idq́; Camberij, vel eo nomine, celeberrimo futuro oppido. Quapropter Dux Anna Cypria, ardens animo, audaciorq; à Gentili ſua, & Gręca munus illud familiariter, obnixeq́ue poſtulat, Sed promptam efflagitationem, promptior ſequuta eſt recuſatio. Quodcunq; illa aliud popo-

Primum miraculū (beside "bilem, hanc per medium… nenti, tentantiq́;")

Secūdum miraculū (beside "eſt orbatus lumine… ſupplicium")

Tertium miraculū (beside "ſequuntur. Nullus non lętitia… pi matronę")

ſcerit

ſcerit non denegaturam ſe, profuſuram potiùs omnia, vno hoc excepto, in quo animi ſolatium, corporis requiem, ſpem deniq; & ſalutem repoſuerit. Factum eſt ſatis Duci modeſtiſsimę, nec ſine reditus deſiderio Gręca officiosè dimittiť: At dum muli ſcrinijs onerantur, agunturq; à veterinarijs, in ipſo vrbis egreſſu, nunq̄ adduci, cogiúe potuit mulus clitellarius, cui ſacrũ onus impoſitũ fuerat, portarũ valuas prętergredi, vt alios ſequeretur; Ac proinde exiſtimatum eſt Diuina id fieri prouidentia, Diuinum illud pignus Sabaudis Principibus & Camberio deberi: Itaque à Ludouico & Anna Ducibus exoratur tandem Margarita: Ipſa rei miraculo, nõ parum ad eam quam diximus donationẽ munificentiamq; exercẽdam adducta eſt. Tantum ob donum, gratias immortales Duces egerunt, ſupplicationes Superis indixerunt, arcis marmoreo ſacello perpetuo conſeruaturi repoſuerunt. Quod Sacellum Paulus II. Pontifex Max. in Eccleſiam collegiatam erexit: ipſe etiam Ludouicus ex auro, ære, argento numiſmata cudi iuſsit, quibus vna ex parte Ducis effigies, ex altera Angelus (qualis ferè in CHRISTI tumulo apparuit) Sindonem paſsis vlnis oſtentans repræſentatur.

4. Miraculum.





Ex numiſmate Ludouici.

Dehinc non dictu eſt facilè quot nuncupata vota fęliciter ſucceſſerint, quot miraculis illuſtratus ſit locus, comprobata, conſeruataq; loco ſincera fides, & maiorum pura religio.

Hîc mutos loqui, audire ſurdos, videre cęcos, claudos ambulare, lepra affectos mundari, Cacodęmone vexatos liberari, mortuos deniq; reuiuiſcere quoties viſum eſt, & non ſemel admiratum: teſtes ſunt fixæ ad ſacros poſtes tabulæ, ſiue programmata, cartophilacia, codicilli publici: teſtis vniuerſa Europa, cuius cum nulla non tam remota pars huc accurrerit, nullus non voti compos ad ſuos lares redijt. Ad quæ ſingula deſcribenda nullæ mihi chartę ſufficerent. Quid Amedeum octauum Ludouici filium, inter Diuos ob vitæ ſanctimoniam relatum, referam? quàm ſępe à Subalpinis ad Trãſalpinos, quamuis valetudinarius, humili habitu, cultuq; corporis, ad venerandam Sindonem pedibus profectus eſt, inſequente etiam Iolanda à Francia Chriſtianiſsima coniuge. Quid Philibertũ? quid Carolum eius nominis primum commemorem? cuius Caroli numiſma quoq; auito exemplo, ad Sindonis memoriam cuſum eſt, Angelo Sindonem, quaſi tropheum, extollente.

Ex tabulis innumeris Cãberiano tẽplo affixis.

Ex notis Ludouici Pingonij aui mei an. 1470

Ex ipso numismate argenteo.





Quo ſęculo Sixtus IIII. Pontifex Maximus Sacellum, in quo Sindon illa conſeruatur, Sanctum dici voluit, affirmauitq; libello antea à ſe edito, in ipſa Sindone ipſius CHRISTI verum ſanguinem, & imaginem conſpici. Quid Philippum Ducem (qui Carlo Ioanni Amadeo trinomini, pupillo, Caroli, filio

Ex Bulla data Romę anno. 1480. Ex ipso tractatu Sixti relati ĩ bulla Iulij ij.

filio tandem succeßit) in medium proferam ? & Claudiæ Britannicæ Pontiberę coniugis pietatem; quam omnibus modis ad venerationem & custodiam huius Sindonis exercuerunt? Philibertus quoq; secundus, Philippi ex priore coniuge Margarita Borbonia filius, cum patri succeßisset, duxissetq; Margaritam Austriacam, filiam Maximiliani Imperatoris, sororemq; regis Hispaniarum Philippi, hunc ipsum Philippum, in arce Pontis Indis Sebusiani agri splendidißime excepit, anno M D I I I. & spectandę Sindonis, ibi (qua potißimum de causa venerat) copiam fecit. Demortuo mox Philiberto, Carolus, ex secundis nuptijs frater, cum Claudia matre rerum potitur. Hæc sanctimonię incomparabilis fœmina, inter preciosum mundum, & iocalia hanc habebat Sindonem, & in Billiaca arce Beugesij, vbi ad pietatem secesserat, religiosè diu conseruauit: donec anno M D V I. Caroli filij Ducis precibus, & patriæ votis, Camberianis populis restituit, simulq; à Iulio secundo, Ruuereæ gentis, Pontifice maximo impetrarunt, vt in eo sancto Sacello Sindonis officiũ (horas Canonicas vocãt) resq; diuina, ꝓpiciatorio ritu peculariter celebrarẽt. Diesq; sacer Sindoni, ad quartũ nonas Maij haberẽt, post diẽ Inuentioni Crucis festũ, eũq; rei appositißimũ. Alio quoq; diplomate veniales largitiones singulis cõtulit noxarũ oĩum, qui supplices eã suspicerent Sindonẽ, & venerarẽt. Quæ deniq; eo stato die, ad arcis Camberianæ muros, Verneteumq; campum, spectanda proponitur. Accepi patrum memoria Franciscum Francorum Regem, Ludouica Sabauda matre natum, cum ad Marinianũm, in summo belli discrimine, Mediolanensium rerum causa, adductus esset, vota ad CHRISTI Sindonem direxisse, moxq; precanti adfuisse Numen, extinxisse Heluetiorum impetum, in suas partes inclinasse victoriam. Tum pręsidijs Mediolani constitutis, in Galliam reuersus, anno M D X V I. regni verò secundò, Rex Lugduno mo-

Ex notis Ludouici Pingonij patris, et Iacobi Delexij eius sęculi.

Ex Bulla Iulij 2. dat. Rom. apud Sanctum Petrum vij. cal. Maij anno Põtif. 1506.

Ex notis paternis anni 1516 15. Iunij.

Ex histo-ria Guil. Parad. li. 3. cap. 99.

uens

Ex notis Iacobi Deli xij.

uens, Camberium pedibus iter fecit, Sacram Sindonem religiosissimè inuisit, & adorauit. A Duce verò Carolo auunculo splendidissimè est exceptus. Is item Carolus anno huius seculi, XXII. Taurini agens, sæuę pestis elapsus periculo, traiectis pedestri itinere alpibus, Camberium ad Sindonis oraculum accessit, assumptis secum duodecim sacræ peregrinationis comitibus, quos inter Lelius Ruuerius, Hieronymi Taurinensium Archiepiscopi pater, allectus fuerat. Sed dira bellorum præsagia anno MDXXXII. demonstrata sunt, cum secundo nonas Decembres, Barbaræ virginis festo die, nocte media vix illabente, illud acris sacellum, in quo Sindon reponebatur, flammis incognitis exarsit; Accurrebant omnes, sed omnium diligentissimus, Philibertus Lambertus, Ducis à clauibus, & consilijs, ascito secum ferrario fabro Gullielmo Pussodo nomine, & Frãciscanis duobus, Imperterrito animo, per medios ignes gradiuntur, cancellos ignitos arę maximæ affixos, serasq; effringunt, Sindonem iam liquefacta capsa argentea, extrahunt, & integram, cedente circum flamma, reportant. Effusis ignibus grassabatur incendium, absumebantur marmora & columnę, sed potentiore piorum hominum fide, viq; Numinis, superata est ignis natura: fugiebant flammę, & qui putabantur arsuri, velut frigido rore perfundebantur, seq; ipsos sunt admirati, velut illis quondam Hebręis pueris contigisse credimus. Istud equidem palam omnes vidimus (tunc enim aderam) & obstupuimus. Nec multo post Syndon publicè repręsentata est integerrima; pręter quod (extra tamen sacræ iconis partes) in complicatu, exiguæ quędam ambustionis notæ, veluti perpetuæ miraculi testes remanserunt. Nihilominus non defuerunt qui exustam eam mox falsò prædicauerint. Quem casum, vbi Clemens VII. Pont. Max. accepit, rem Ludouico Gorreuodo Cardinali sedis Apostolicę Legato committit, qui inquisitione diligenti facta, eam ipsam

Ex notis Lelij à Ruuere patricij Taurinen. Viconoui reguli.

Vidi.

Miraculum.

Danielis. 2.

In Caluini calumnias.

Ex diplomate & tabulis an. 1534 15. Apr.

Sin-


Sindonem, quæ ante fuerat, obſignatis tabulis affirmauit. Pontifex verò maximus, de Patrum ampliſsimi ordinis conſenſu, piȩ ſanctæq; à maioribus Pontificibus largita omnia comprobauit. Nec multò poſt ingraueſcentibus bellis, expulſoq; Carolo Duce, anno MDXXXV. pignus illud rediturȩ aliquando ſalutis, ipſe ſecum ſtudioſiſsimè Vercellas detulit, & quandiu vixit conſeruauit. Eo verò vita functo anno MDLIII. expilatis à prorege Carolo Coſſeo Briſsaco menſe Nouembri Vercellis, nihil tamen Sindoni ſiniſtri contingere potuit: ille ſiquidē cū aſſeclis appropinquās, obſtupuit, pedē retraxit, hęc inuiolata Sindon Emanueli Philiberto ſucceſſori cōſeruata eſt. Poſteaquam autem fauente, ſummo Numine pax illuxit anno MDLIX. reſtitutusq; eſt Emanuel, ducta Margarita à Francia Regum filia, ſorore, amita, & matre verè Regij Caroli Emanuelis: Sindonem hanc Camberij reportari piè iuſsit, anno MDLXII. nuperq; non vnis literis, vrbi reſtitui pollicitus eſt. In qua vrbe iam primum olim collocata, & ipſe fauſtis patrię auſpicijs natus fuerat. In cuius gratiam quę à nobis tunc emiſſa fuerunt carmina, inſerere, atq; ita narrationem claudere non verebor. Sed prius repręſentandum eſt numiſma, quod recens cudi, maiorum imitatione, ad Sindonem piam memoriam Dux religioſiſsimus mandauit.

Ex li. 30. Hiſtoriæ noſtrę Sabaudę.

Vidi.

Ex literis Ducis ad Pręſidē Milletū, ciues, & collegiū mēſis Augusti. 1573.





AD EMANVELLEM PHILIBERTVM SABAVDIAE DVCEM.

SINDON.

ABDITA priscorum tot post oracula vatum,
Mathęi 4. Ter fęlix Sirius, Solymiq; fuere coloni
Qui natum Patris æterni præcepta sequutum,
Ioan. 1. Hebr. 5. Hunc hominemq;, Deumq;, assumpto carnis amictu
1. Tim. 1. Ut nos eriperet metuendi ex faucibus orci,
Aspexere suis oculis, & verba loquentis
Ioan. 20. Hauserunt: Immo qui non videre beati
Talia si credenda imo sub corde reponant.
Ephes. 4. Dixero fęlices iterum, pietate priorum,
Quiq; fide nixi canâ, vestigia lustrant
Obseruata retro, ducunt res hincq; futuras.
Prou. 16. Perq; manus sumpsere, decet quid credere, quid non,
Nec regere arbitrio tentarunt cuncta suopte,
Psal. 14. Quales qui sibimet pugnantia somnia fingunt,
1. Pet. 3. 2. Corinth. 10. Atque animo nunc huc volucri voluuntur, & illuc,
Psal. 36. Inq; nouos sensus olim stabilita retorquent.
Eph. 4. Propositum quorum est fraterno sanguine pasci,
1. Tim. 6 Numina fabellis componere anilibus, ut nos,
Osea 5. Contineant Reges (aiunt) animamq; cadauer
1. Tim. 1. Putre sequi, porcorum Epicuri de grege nati.
Rom. 1. 2. ad Cor. 3. Audio quale hoc? ó mores, ó tempora: rerum
1. Corin. 15. Quæ series, orbis miseri quis vertitur ordo?
Quis furor ó ciues? redeundum est, & sapiendum

Insanisse satis: matrem preferte nouercæ. Ephes.4.
Vos vocat, & gremium, amplexusq; parauit amicos.
Quid meminisse nocet? (potius meminisse iuuabit)
Corticibus quę scripta sacris, seruata videmus Ioan.5.
Integra, nec cariem senserunt temporis acti,
Scripta velut res est, rem sic testentur vt actam, Heb. 2.
Præfigantq; oculis, feruentior vtq; calescat
Relligio, tepidis tandem quę sensibus alget.
Hoc minime est inter permulta insigne tacendum. 2.Tim. 4.
Postq̃ res hominum Fatis cessere secundis,
Et belli signum Solyma processit ab arce
Confecti, ac victum SERVATOR subdidit hostem, Io.12.& 16.
Tot grassatus erat qui annorum millibus orbe,
Dira adeo sobolem labes affecit Adami,
Illusam nimium, cum vxorius audijt Euam, Gen. 3.
Donec Alexicacus venitq;, aciemq; parauit
Ille potens, solus nos prelia propter inuit, 1.Tim.2 Ioan.19.
Consummauit opus, dixitq; nouissima verba: Coloss.1.
Magnę molis opus, data quod mortalibus vltro Ioan.10.
Gratia, quodq; opifer spectatus in arbore Serpens, Osee 13.
Et mundata lues, lue, Nex nece truxq; perempta est.
Insignis pietate senex Iosephus, & auri Heb.2.
Diues, opumq;, Arimathęis sub mœnibus ortus, Rom.8. Matt.27
Occultus, metuens Solymos, tamen assecla certus, Mar.15.
Confisus Cœlo, Regnum expectansq; Tonantis:
Audacter petijt condi venerabile corpus,
Ad caput à pedibus, cuius pars integra nulla; Luc. 23.
Heu sanie, taboq; fluens, lacerumq; flagellis,
Quintupliciq; patens plaga, miserabile visu. Esaię 1.
Annuit id Preses, corpusq; dat: ille paratus Matt.27
Sindonis efficitur Tyrię emptor: munda nitebant
Stamina; non eadem proles Idmonis Arachne,

Texuit, aut doctæ sunt talia pensa Mineruæ.
Fidus adest etiam Nicodemus (venerat olim
Io. 3. & 19. Nocte, Senemq; iterum didicit potuisse renasci)
Non ingratus adest, miscentur Aromata centum
Penè libris, Mirrhę, atque Aloës fragrantis ab Indo,
Atque Arabe aduecta, & nullo comparcere sumptu.
Tantus amor geminos rapiebat: ab arbore fixa
Ioan. 20. Deponunt cæsum, Inuoluunt artusq; supinos
SINDONE pręsigni, anteriora teguntur eadem.
Atque alia haud alijs superaddita lintea desunt.
Ioan. 19. Non procul hortus erat, vernans plantaribus alis,
Luc. 23. Consita reddebant mixtas arbusta tenebras,
Mar. 15. Scrupea surgebat moles, ingensque sepulchrum,
Conditus vllus adhuc quo non: Mirabile pondus
Ephe. 4. Ponitur hìc, maius quo non capit hospita tellus.
Sed prius elatum nudarunt, SINDONE tincta
Tot plagis, sudore, cruore; coloribus hisce
Forma datur spectanda, bibunt & lintea formam.
Ioan. 19. Vis fuit hęc cęsi; mox huius inungere membra
De more occipiunt, palmis liniuntque cruorem,
Vulneraque infanda, aduerso dant oscula vultu
Vulneribus, lachrimas fundunt cognato hululatu.
Mat. 23. & 27. Ergo Magne iaces, magnorum Maxime, sic te
Mat. 12. Perfida gens, fera gens, & adultera, teq; Parentem,
Ionę 2. Te Dominumq;, Deumq; scidit, fixitq;, fiditq;.
Mat. 13. Gens luet hæc pęnas, & qui nascentur ab illa,
Frendebunt trepidi, cum signa dabuntur Iönę,
Luc. 12. Moxq; domus deserta ruet, puerosq; vorabunt.
Mat. 15. Tu memor at nostri Supera fac sede locemur.
Talibus accensi dictis, interq; querelas
Persistunt operi, sed quod timor occupet artus,
Mat. 27. Festinant, saxoq; tegunt, abeuntq; Nefastis

Apta

Apta paraturi, iam iam fugiente quietis
Tempore: Matronale decus, sequiturq́; videtq́;
Omnia: Oronteoq́; onyces fert munere plenos Luc. 23.
Quęlibet, officijsque addicto pectore certant.
Intereà exoptata dies illuxit ab alto,
Tertia certa dies, rursus quà velle reuerti
Dixerat, vt secum conuexa suprema reuisant 1. Corint.
Sublimes animæ, rediuiuaq́; corpora sumant. 15.
Ille resurrexit, Manesq́; resoluit ab Orco, Coloss. 1.
Saxa reuoluuntur; signacula fixa liquescunt.
Excubias sopor irrigat, & pauor occupat omnes: Ioan. 20.
Egreditur tandem Rex Diuum, hominumq́; triumphans, Mat. 28.
Ferreq́; quem nequeunt oculi, splendore corruscat,
SINDONIS exuuias dulcesq́; reliquit in antro.
Qualis vbi in lucem exultans sese exerit anguis,
Frigora post Brumæ, cum terrę ardore dehiscunt,
Veste nouus posita, viridem repetensq́; iuuentam,
Arduus ad Solem micat, & velut aëra tranat.
Postera lux vix orta, nouisq́; aurora meabat
Luminibus, madido gemmantes rore per herbas, Mat. 28.
Magdalena redit socijs comitantibus, aurasq́; Marc. 16 Luc. 24.
Humentes feriunt gemitu, dolor ima perurit;
Quod patefactus hiet tumulus, quod & extet inanis, Ioan. 20.
Ereptumq́; ratę Dominum: quęrentibus extra, Ionę 2.
Intra etiam, Pueri soboles flamantis Olympi Oseę 9.
Astabant gemini, vestes splendore renident,
Nix velut Alpinos apices quæ plurima texit,
Impubesq́; genę, demissi fulguris instar,
Lumina perstrinxere solo inclinata trementum.
Audite ó primę (vnus ait) spes discite vestras,
Corda pauore vacent: situs hic fuit, inde reuixit Apoc. 1.
Vester IESVS, apud functos ne hunc quærite, Regnat. 2. Timo. 2.

Mat.28. *Mens presaga fidem accepit; quæ dixit, adimplet.*
Ite, referte alijs; namq; vltrò occurret ad oras
Mar.16. *Quas Galilęus habet, iam hærent vestigia prima.*
Hęc inter, sola ostentabant Lintea, SINDON
Ioan.20. *Proximiorq; cuti apparet, sudore cruento*
Pressa, notis referens totius corporis vmbras.
Hìc humero dorsum versus, pendebat vtroq;,
Occiput hìc, rami manuumq; pedumq; iacebant.
Parte alia, frons pressa patebat sentibus aspris,
Ioan.19. *Liuidaq; ora, latusq; infixum vulnere crudo,*
Pertusasq; volas clauorum, & stigmata plantis
Spectabant. Varium fuit author imaginis vlcus.
Exin cuncta notant, referunt velocius Euro.
Luc. 22. *Audijt hęc Petrus, lachrimis aspersus amaris,*
Ioan.20. *Festinauit Iöannes, adamatus ab illo,*
1. Corin. 15. *Incubuit tumulo primum: simul aspicit alter:*
Luc. 24. *Omnia videre vt fuerant narrata, fidemq;*
Adiunxere, prius qui talia credere duri,
Ac delirantes subsannanere professas.
Credibile est etiam, pietati conuenit almæ;
Nec secus esse potest, non hancce fuisse relictam
Rem tanti precij, pessundata totq; trophęa,
Conscia quę nostrę dicam vexilla Salutis.
Sollicitè potius quin hęc lectissima SINDON
1. Tim.2 *Asseruata fuit, feruentis amoris vt arrha:*
Dum noua Christicolę surgunt cunabula gentis,
Exardentq; animis populi, visq; Enthea dictat
Act.4. *Spargere res pedibusq; Patrum, communia cuncta,*
Math.9. *Nil proprij voluisse, nec ipsi parcere vitæ,*
Omnia sollicitos factis implesse, nihilque
Act.5. *Fastidisse pium, extremos nunc tangere limbos,*
Act.19. *Nunc vmbras hominum venerarier, ipsaque Pauli*

Cingula

Cingula, & indomitis sudaria poscere morbis.
Est seruus non maior hero, nihil SINDONE maius. Ioan 13. & 15.
Hancq; penes magnos, proceresq; fuisse putandum est.
Principibus placuere viris quę rara videntur. Mat. 20. Luc. 6.
Rarior, & longè hęc omni Garamantide gemma,
Nilq; ab Erithreis preciosius aduenit vndis,
Prodigus aut inter charissima vectat Idaspes.
Tandem ad sublimes pietate fideq; Sabaudos
Peruenit SINDON, Cyprio Diademate Princeps
Cum Ludoïcus ouat, consecratis Hymeneis.
Munere Margaridis Carnæ (Clarissima Graium Donatio
Carna fuit) poterat nulli traducere munus 22. Martij. 1453.
Dignus: Antiqua Lodoicus origine Saxo.
Inclyta gens, duce qua CHRISTVM Germania nouit,
Isq; nepos Tritauúm, quibus ardua stemmata liquit Ex historia Sabauda.
Clara Rhodos, Scythio tunc libera facta Tyranno.
Stemmata, sanguineis quibus est Crux cana maniplis.
Seu Longobardo hæc mauis deducere regno.
Is Proauusq; pij EMANVELIS, sanctior illo
Quo nec adest, similem Saturnia nec tulit ætas.
Ille mihi terris Deus, huic mea consecret aram
Patria: Camberię sacra munera reddidit vrbi:
Et debebantur nostris hęc pignora terris.
Nos ergo incolumes seruemus tanta, nec inflent
Elatos animos, medecina negatur Hidropi.
Exornant humiles Superi, spoliantq; superbos.
Discite qualis erat, cuius monumenta tenemus, Mat. 23. Phil. 2.
Mitis erat, facilisq; pati, Crucis horrida passus.
Alloquor ó vos electum genus (ite profani,
In dubium reuocare lubet quibus omnia certa.)
Credite vos: hæc est CHRISTI certißima SINDON,
Fingere non Zeusis sciffet, non Cöus Apelles,

Nec manus artificis cuiusquam talia poßet,
Qualia Diuinis Miracula nutibus extant.
Mat.3. 1.Corin. *Sit duris oculata fides, non lumina fallunt.*
15. *Aſpicite, & veſtras memores agnoſcite culpas,*
Cauſa fuere mali, mala veſtra malisq; feruntur:
Flectite colla, ſolo proni colitote laborum
1.Tim.1 *Reliquias veterum, effigiemq; Typumq; Tonantis*
Exod.20 *Sic ſed vt vnus adoretur Deus: Jma colendo.*
Mat.4. *Mens erecta Polo tendat, quo tendimus omnes.*
Rom.1. *Senſibus obiecta, ęternos penetrare receſſus,*
Oſtenduntq; vias faciles, quibus itur ad aſtra.
Quod ſupereſt, compellat adhuc diſcincta capillos
Relligio, velutiq; ſuis hæredibus infit.
Rom. *Tutelare domi dum Numen habetis, ouili*
1.Corint. *Obfirmate pedum, lupus inſidiator oberrat,*
15. *Impaſtusq; leo rugit, manditq;, voratq;*
1.Pet.5. & 3. *Molle pecus, mutis Paſtoribus vſque minatur,*
Ephes.6. *Ne pueri, ne vos vicinia faſcinet, auſa*
4.& 5. *Omne nefas, ſpecieq; boni ſcelus attrahit omne,*
Galat.3 *Expiſcatur & hic comites, illicq; malorum.*
Diſcite iuſta ſequi, nec vos aſſueſcite bellis.
Aut ſaltem in Patrię non vertite viſcera vires,
1.Pet.2. Coloſ.3. *Sed veſtro parete Duci, nam miſſus Olympo eſt.*
Rom.13. *Tuq; prior, tu magne genus quod ab Hercule ducas*
Dux PHILIBERTE*, feros deuincere perge colubros.*
Dixit: & inflexis oculis delubra petiuit.

MDLXII.

DE

MIRACVLVM DE N.
Fusina puella Gullielmi filia Camberiana.

Languebat, teretes trahens lacertos, *Vidi anno 1533 Maio.*
Et plantas fragiles, iners que corpus,
Idqne annis melioribus, puella
Cygno candidor, niue, & ligustro,
Sed trunco similis, sonos cicadę
Edebat superos ad usque tractus,
Nunc hæc Numina, nunc vocabat illa:
Impetrata nec est salus vocanti.
Donec SINDONIS *ad locum repostæ*
Se ferri, rogat impigros Parentes,
Defertur, lachrymas, precesque fundit,
Et suspiria faucibus profundis.
Per CHRISTI *madidas cruore plagas,*
Perque hæc humida lina de cruore,
Per vestigia corporis cruenti,
Quæ sunt stemmata publicæ Salutis,
Exoptata salus leuet iacentem.
Vix effata, mouet manus, pedesque,
Exurgit, graditur iuuante nullo,
Tum nubit, fit anus, Deumque laudat.

Aliud de Petro N. adolescente Romuliaco.

Pons est æditus æditissimorum, *Vidi, anno 1534 Aprili.*
Cœli in flumine vorticosiore,
Vrbem ad Romulidum viam ministrans.
Imberbis Iuuenis volans caballo,

Quem

Quem iumenta priora concitabant,
Præceps ponte cadit, simul caballus.
Infelix pater, intuens periclum.
O SINDON sacra (clamat) o Salutis
Pignusque, arrhaque, filium reserua.
Seruatur, pereunte sed caballo.
Quid non efficit inuocata SINDON?

Aliud de liberatis Dæmoniacis.

vidi.
2535. *Infandum: Stygiæ viros cateruæ*
Maio. *Torquebant aliquot, furore diro:*
Accedunt, hululatibus fremendis,
Torui lumina, colla protrahentes;
Vincti brachia ferreis cathenis,
Non viles, licet hi viri miselli.
Cum spectanda datur sub vrbe SINDON
Turbæ prata per ima demoranti.
Vt mox suspiciunt, cohors nephanda
Exclamat, Deitas adest, abimus.
Fit fulgor, nebulas vomit Mephitis,
Erumpunt per inane, liberosque
Dimittunt miseros, deinde faustos,
Et non creditis Impij? crepetis.



APPENDIX
De Muti miraculo.

DVM ſcribendi finem facio, ſtylum iterum rei nouo miraculo adducor ſumere. Quod vidi, quod domi geſtum eſt, quod tota nouit vicinia, Id vnum teſtor ego, nec ſubticere poſſum, aut debeo. Anno ſuperiore mutum quendã Philiberta vxor in villa Spinetea noſtra, agri Taurinenſis alendum fouendumq́; commiſeratione ducta ſuſceperat. Is quinquennio antea oſtiatim victum quęritabat, nutu, & articulorum ſignis animi ſenſa, non voce aliqua exprimere poterat, niſi quod ſicuti bruta vlularet, lingua in globum contracta, mãdenti etiam officium negabat, atq; iniectis in os digitis, tritũ dentibus cibum in fauces demittere cogebatur. Miſerandus certè adoleſcens. Cęterum ad operas non impiger, frugi, fidus, amabilis, acri memoria, nec tardo ingenio, & ad pietatem procliui. Quid accidit? Nuper cum Dux Emanuel monitos quoscunq; per Pręconem ad vrbis compita, tubis reſonantibus voluiſſet, vt ad ſpectandam SINDONEM ſtatis diebus pararentur, ieiuniorum, orationum, elemoſinarum beneficio, noxarũ deniq; expiatione; Ipſe quoq; (vt Patrẽ familias decet) & vxor, domeſticos ad id ipſum ſumus exhortati. Muto imprimis varia exẽpla adducta ſunt, quibus loquendi facultas Diuini Numinis virtute, (cuius certiſsima veſtigia in SINDONE refulgent) eſt reſtituta. Idq; ſuperioribus annis Burgundæ virgini nobiliſsimæ, Camberij in ipſo SINDONIS aſpectu fęliciter obtigiſſe adferebatur. Ille vero hęc ſecum ita agitat, vt exactis aliquot poſt diebus, tandem ſummo mane, qui dies v. Calen. Nouemb. ſeptuageſimo octauo de villa redit, iam non mutus, mirantibus nobis fatur, & palam genibus inclinatus, gratias Deo agit, Sanctãq́; CHRISTI

SINDONEM laudibus extollit, quam quinquies vidisse se, ad quinq; vulnerum CHRISTO illatorum memoriam affirmat, & ieiunia quędam, quoad vixerit, Deo vouisse. Atq; cum ieiunare cœpisset, pręcedente nocte, somno profundo excitatum, dissolutam sibi linguam, cum cruoris effusione, cruentum os vbi aqua abluit, IESVM CHRISTVM exclamauisse, CHRISTIQ. SINDONEM, atq; ita sospitem redditum fuisse. De singulis, à nobis rogatus certiores nos facit, Baptistam se vocari, Charij oppido natum, Patre Michaele obscuro genere, matris nomen ignorare, & ijs iamdiu orbatum, decimum octauum annum attingere, vt ex aspectu dignoscitur, sex ab hinc annis non fuisse loquutum, inuadente quodam morbo, siue Magę cuiusdam malis artibus contigerit: linguam nunc explicatam profert, nulla nodi aut cicatricis apparent vestigia, nec ad mansum vllis vltra opus est dactilis, Et (vt paucis) quod prius apud homines desperatum fuerat, pręsens Dei Maximi summo munere, remedium adeptus fuisse cernitur.

De Baptista muto, virtute Sancta Christi SINDONIS *loquellam adepto. Mich. Gasp. Beltrani Lusitani.*

REGNAT, io, regnat (Solyme ferarumpere) CHRISTVS
Nec dubijs in rebus opem negat. Ecce nefandis
Cladibus ereptus sextę post frigora Brumæ,
Ora sono, vt quondam liber Baptista resoluit.
Ambiguis nec sensa notis, digitoq; loquaci
Tristis vt ante docet. Miseros ope scilicet AEther
Subleuat, abiectosq; animi. Lętare verenda
Christiadûm, lætare manus, non ista venenum,
AEmonięq; artes, quę nil nisi funus, & ægros

Angores

Angores, Furiasq; valent inducere rebus
Humanis, ostenta mouent. Natique, Patrisque
Dextera, quique prius quàm menstrua Luna nouaret
Vultus, quàm radians Hyperiona cingeret arcus,
Spiritus vndantum cumulos super ibat aquarum,
Hęc agit, hęc tristi mittit solatia Mundo
(Ceu toties) Superum testatus ab æthere textum
Funeris exuuias victi, nostręque Salutis
Certum, horrendum, ingens monimentum. O' terq;, quaterque
Felices, quos pręsidio pietatis in omnes
Alma Fides casus stabili muniuit. Egenos
Deseret auxilij nunquam indulgentia Cœli.
Sed, quid, Liuor edax, mendaces carminis vsus
Obijcis? & ficti numero mea verba reponis?
Non mihi cura Ithacis includere pellibus Euros,
Non canibus Scyllam circumuallare Marinis.
Casurosq; breui per mutua vulnera fratres
Tollere viperei de semine dentis, & atro
Cerberon, & rictus Furiarum vmbrare Chelydro.
Ah pereant quicunq; ornant mendacia dictis,
Et figmenta probant. nec saxum Sysiphon vrget
Nec Tityon septem prostratum in iugera terrę
Tundit auis: media nec Tantalus aret in vnda,
Huc geminas tamen adde acies, iterumq; voluta,
Arcana excussis latè Diuina tenebris
Inuenies: sed tu stolido, ceu Simius, ore
Delibas fœtus extrema putamina, fellisq;
Offensus specie, nuclei miracula cęci,
Hyblæis potiora fauis exquirere nescis.
Nec labor est validam (vt mussas) defendere causam,
Quæ nihil auxilij, nil est opis indiga. priscos
Aspergunt maculis commenta infamibus, esto.

Vera canunt nostri, quid Thesbius edidit ardor?
Iessei quid plectra sonant sublimia Regis?
Quid pia Sedulij Clio? quid clara Iuuenci?
(Vt mihi Parthenopes laus, vt mihi fama Cremonæ
Prætermissa abeat, nostrisq; indicta Camœnis)
Tibia, quam summi resonant facta inclyta CHRISTI,
Mi quoq; si Romæ componere fas sit Hypæpas
Scripsit Baptistiados iussũ opus. *Noster Idumeę Iõannes pręmia palmæ*
Deferet, & socio victor dignabor honore,
Perq; virûm latè celebris ferar ora: videbis
Cœlestem infęlix, intabescesque videndo,
Nec poteris nostram Liuor corrumpere famam.
Interea vanas Erato secludere curas
Incipe, & Astrigerum paulatim ascendere culmen.
Vtque licet, veris imple rumoribus orbem;
Inflammaque animos vitæ melioris amore.
Non tamen æthereis toties incredula iussis.
(Sit quamuis amor omnigenas accersere gentes)
Te, Iudęa, vocem: quis enim tot pressa tenebris
Pectora, quasque Dei soboles non dispulit vmbras,
Illustrare velit? vos ò quibus integer ęqui
Ardor, quos veluti priuatam in secula sortem.
Perfidiam exosus Solymæam elegit Olympi
Regnator; vos, si meriti venerabile CHRISTI
Nomen, ad insignis spolium properate triumphi.
Et vestri effigie Ducis insignita, pijsque
Lintea diffusi maculis aspersa cruoris
Suspicite, & totas lachrymarum effudite habenas.
Diues inopsuè fuat, nullo discrimine Iustus
Rector habet. pulsate fores Pietatis, & ægrę
Auxilium clamate animæ, potiora rogatis,
(Non ignota cano) voto vberiora feretis.

Siue

Siue quis infestis Erebi male saucius armis
Ingemis, obscuræque acies, & luminis orbes
Caligant, aurisque lues, inimica reclusit,
Seu læso pulmone perit, seu faucibus ipsis
Interclusum hęret murmur: cumulabere donis
Optatis, ne quid dubita, cumulabere donis.
Cernis, vt amissus (nec enim mihi ferre sub auras
Fas credam, quot, vt ętherei decora ardua Lini
Dideret, ostentis Pater orbem impleuerit) errat
Ore sonus pueri nuper, canis instar hyantis?
Sic est? an falsa iactamur imagine? sic est.
Vidimus, heu, quoties strictæ retinacula lingue:
Conantisque loqui, vanescere murmur in ore,
Latratusque sonum velut edere: nec semel offam,
Officium renuente suum concedere lingua,
Impulsam digitis (miserum) demisit in aluum.
Tot guttur labes oppresserat impia damnis.
Nec mihi erede, vide tu quas ferit ille loquellas,
Quos iacit ore sonos, oris qui vincula nosti.
Nam quis Pingonios hac ciuis in vrbe Penates
Nesciat? his vocis priuatus munere ephœbus
Successit: vidistis enim, tactique dolore
(Credere seu dignum est) sortem gemuistis iniquam.
Nec prębendum aures (moneo) quos obsita nube
Pectora Cymmeria impellunt illustria Olympi
Facta Panomphæi (minimę quasi corpus aristæ
Numinis iniussu rapiat Notus) addere sorti,
Non grates agere authori, quid debile vulgus?
Quid Casum, Sortemque vocas? iam nulla profecto,
Si nihil & vanum colimus, pro Numine, nomen,
Regnat in orbe Fides, si quod modo vidimus, audet
Detrahere inuidiæ virus, Geniumq; reuoluens,

Ne-

Nescio quem , tenebras offundere nititur orbi,
Qui Domini tot facta oculis incognita nostris
Credat , & humanos latè superantia sensus?
Vos igitur , seu cura Poli , seu muneris huius
Tangit honos , properate Pij , nec somnia vani
Vos capiant animi , Fidei parere monenti
Discite , nec rerum cęcas euoluere causas
Quærite, Romanæ fulti virtute columnæ.
Tu quoque Taurinæ, EMANVEL, decus addite famæ,
Quem noua Maiorum sebeuntem exorsa, præcatur
Aeternum sibi terra Ducem, venerabile serua
Munus, & exemplis , quibus hęc Domus vna redundans,
Ante alias totum radios effundit in orbem
Innixus, Patriæ obseruans vestigia, laudem
Vt facis , acquiras, pariter pietate, vel armis .

De eodem muto epigramma.

Texta triumphantis Pingonius Enthea CHRISTI
Cœperat historicis concelebrare modis :
En loquitur famulus , modo mutus. Scilicet æquum,
Conditor hæc veri munera ferret, erat.

In sacram CHRISTI SINDONEM ode
Math. B. Sebusiani.

Intimum cordis penetrale pulsat
Vis ab excelso mihi fusa cœlo,
Igneos subdens stimulos , furoris
Signa beati.
Tu meis SINDON habitas medullis,
Nobilis SINDON, sacra membra CHRISTI
Digna velare , & precij cruenti
Condere pondus .
Nec satis , famam patulum per orbem

Dis-

Diſſipas miram, properante greſſu.
Mutus accedit, recipitque captæ
Munera linguæ.
Vidit hoc Pingon memorandus Heros
Atque Taurinum, pia gens profuſis
Hæſit, admirans lachrimis, notata
Sanguine Lina.
O' decus magnum Patriæ, quis Orbe
Non ab extremo celerare paſſus
Optet, vt CHRISTI *liceat verendos*
Cernere vultus?
Si pigros Mundi colerem receſſus,
Quos videt nullus neque flectit æſtus,
Siue ſub Phœbi recalente curru,
Ipſe venirem.
SINDONEM *quam nunc licet intueri*
Infimis terris, videamus omnes
Viuidis tantem radijs, perennes
Orbe ſuperno.

Hymnus antiquus de SINDONE.

O Iubar noſtræ ſpecimen Salutis,
Omnibus qui te venerando credunt,
Et ſcelus purgant, lachrymiſque dura
Pectora tundunt.
Reddis heu CHRISTI *effigiem cruenti,*
Ecce præſentem, penituſque fractum
Cernimus totum, caput, atque corpus
Proh dolor ipſum.
Scimus, hoc noſtrum meruiſſe crimen,
Nos ſumus cauſæ, fateamur ipſi.
CHRISTE *ſed nobis miſerando parce,*
Parce precamur.

SINDONEM ſacram colimus redempti,
Quæ pium corpus, ſimul & cruenta
Membra contexit, redeunt ab almo
Cuncta Sepulchro.
Laus, honor, CHRISTO, decus & triumphus,
Qui ſuę nobis documenta mortis
Liquit indignis, miſerans precamur,
Saluet vt omnes.

Pandulphi Sfondrati Cremonen.

Supra Naturę vires Mantile tot annos
Stemma quis impreſſum poſſe referre putet?
Mens Princeps, vllas non cognoſcenda per artes,
Quæ fuit, eſt, & erit, quod iubet vt ſit, id eſt.

Ambr. Olerij Caſalen.

Cur mirè facies Dei cruenta
Obliqua appareat, videto multum:
CHRISTI corpus habet ſacrata SINDON,
Multo ſanguine quod refert latenter.
Quod recto intuitu, nihil videbis.
Id cauſę reputa precor viator,
Noſtri crimina, & inquinata facta.
Is recto intuitu poteſt videre
Tantum, qui potuit creare cœlum.
Te fuſus cruor heu mouere debet:
Vt Cœlum cupias tibi paratum.
Peccator reputa ſubinde tecum,
Quàm ſanctè admoneat ſcelus fugare,
Infęlix niſi proprię Salutis
Tu ſaltem fueris memor videndo.
Infęlix niſi Patriam Deorum
In mentem reuoces, vt inueharis.

RVGERII TRITONII
FOROIVLIEN.

AVsim te meritis tollere laudibus?
Te dignis modulis, carmine, te lyra,
Vllis te fidibus concelebrem, Sacro
SINDON splendida lumine?
Non tu digna tuis tangere nexibus,
Non vinxisse tuo digna ligamine,
Vel fouisse etiam diceris integrum
CHRISTI corpus amabile?
Hinc qui noxa hominum tot mala sanguine
Lauit, qui moriens fortiter obruit
Mortem, perpetuò sanguineam sui
In te fixit imaginem.
Quis te nunc igitur non colat, vt Deum
Ipsum, nonuè adeat, dum retines Dei
Impressam effigiem, quam neq; Sydera,
Ipsi nec referunt Poli?
Sed iam Sacra facit, iam litat inclitus
Princeps Allobrogum CAROLVS; Obsecro,
Sic per te vigeat Nestoreos dies
Pulsis longius hostibus.

FRANCISCI FERRERII ANCHISAE
TAVRINENSIS.

QVID primum, sacra, aut postremum in SINDONE mirer?
An Cœli Regis vultum, traiectaq; telo
Pectora, transfixas clauis palmasque, pedesque
Ostendi, & fusum per vulnera dira cruorem?
Quæ nec Apellæi artifices, neque finxit Arachne,

Sed peplo obductum Regis miserabile corpus,
Reddidit hæc simulacra sui; tunc sanguinis atræ
Fluxerunt guttę, æternùm quas Lintea seruant:
Vt foret in terris, omnes, veneranda per annos,
Cœlestis, vera effigies, atque vnica, Regis.
An longe quòd spectanti mihi cuncta patescunt,
At propius figenti acies, obscura recedunt?
Ac velut increpitant, quòd nos ratione sagaci
Scrutari, nostroque modo Cœlestia facta
Metiri, atque Deum contingere lumine claro
Conemur, non ac potius fateamur homulli,
Quæ supra nostras vires, artemq; videntur,
Diuino facilè arbitrio fieri omnia posse,
Atque ea suppliciter veneremur munera Diuûm?
Carbaseam quid materiem, ac tenuissima lina
Tantum æui superasse, & adhuc firmissima dicam,
Nec quisse ant flammis aboleri, aut æquore mergi?
Nec furto tolli, aut violari hostilibus armis;
Et quoties nostris, ac toto huc Orbe profectis,
Dum flentes manibus passis, & poplite adorant
Submisso CHRISTI *exuuias, ac Numen in illis,*
Vota impleta? palam est, & lumina reddita captis;
Et florem, deploratis, roburque iuuentæ,
Et quæ preterea, Clari Pingon is Alumnus
Eloquio florens, intexit plurima chartis.
Vera Dei proles, Deus ipse, atq; vnica Mundi
Lux animis iter ad Cęlestia limina monstrans,
Qui iusto, iniustis peperisti sanguine vitam,
Qui infandæ hęc monumenta necis, monumenta laborum,
Atque tui pariter monumenta, & pignora amoris
Liquisti, & Ducibus voluisti eadem esse Sabaudis
Propria dona, quibus tantum, tibi credere visum est:

Aspice

Aſpice quàm toto tibi ſeruit pectore CARLVS
EMANVEL, *quaq; id munus pietate tuetur;*
Da iuueni longamq; diem, ſobolemq;, decuſque,
Hancq; tuis regere auſpicijs fœliciter vrbem,
Auertens diramque luem, bellumque, famemque.

Mam. G. M. A. F.

VEXILLVM *auguſtum ſalue, quod quinq; decorum*
Vulneribus, certam nobis portendis ὑγιῆα,
Purpura Diuino ſalue ſuffuſa cruore,
Sacratæ exuuiæ, ſpolia & ditiſſima CHRISTI,
Ingentis terris ingentia pignora amoris,
Atque æterna ſuæ mundo monumenta Salutis
Saluete: hanc CHRISTVS *cœleſti ſanguine pictam,*
Imbutamque ſuo tabulam ceciniſſe videtur,
Dum ſe nobiſcum per ſecula cuncta futurum
Edixit: meliore ſui nam parte ſuperſtes
Nobiſcum in terris, ſacraq; in SINDONE *viuit.*
Cumque olim lapſum in cineres exhauſerit orbem
Ignis funereus, legio ſelecta Piorum
Horrendi ſiſtet ſe Iudicis ante tribunal
Tuta ſub auſpicijs, atque omine SINDONIS *almæ,*
Et ſancti canet æternùm præconia Pepli.

Philiberti A Coyſia Camberienſis.

O SINDON *celebris, Telaque ſplendida,*
Nobis diuitijs carior Indicis;
Quam pennata Poli ſyderei canens
Cingit perpetuò cohors.
Fortunata, tibi tangere, condere

Artus ambrosios contigit, & sacro
Tingi cœlituum sanguine Principis,
Et formam accipere illius.
In te membra palàm, captaque vulnera
Apparent: facies passa nefarios
Apparet colaphos, candidior prius
Vel Cygno, niue, lilio.
Apparet vepribus cincta rubentibus
Ceruix, purpureis sparsaq; riuulis
Diues Cæsaries, barbaq; nobilis
Auro fulgidior prius.
Apparent humeri verbere saucij,
Et pectus lacerum, brachia, crus, femur,
Transfixique pedes, & teneræ manus,
Perfossumq; latus sacrum.
Te Tybris sitit, atque Eridanus colit,
Rhenique, & Rhodani flexilis accolæ
Visunt, & Ligeris dulcis, & Adriæ,
Potorque auriferi Tagi.
Te Reges nitidi, te quoque Cesares
Sceptris depositis, & Diademate,
Elatisque animis, sedulo visitant,
Magna cum reuerentia.
Ad te confugiunt capti oculis, feræ
Vexati podagra, febreque tabidi,
Implorant & opem suppliciter tuam,
Errantesq; mari horrido.
Audis, nec renuis: mortis ab atrio
Accitos patriæ restituis preci,
Aestus pestiferos, & rabidam famem
Arces, das pluuiam satis:
Infernas acies corporibus fugas,

Os mutis aperis, innocuos foues,
Morbosósque leuas, ac simul eripis
Omni Dìa periculo.
Nonnè incredulitas territa perditur?
Quid? nonnè Impius, vt te aspicit, obstupet,
Infantes veluti cum tonitrum audiunt?
Tantum robur inest tibi.
Heus, hìc Numen adest? Thura fragrantia,
Myrrhamq; Assyriam spargite, in æthera
Multus spiret odor, iungite odoribus
Fusas mente preces pia.
O vera Effigies Cælicolum Dei
Adsis Effigies Maxima, sub tuum
Nobis presidium confugientibus,
Nostrasq; aspice res fauens.

I. A. VC.

IESVS *Almi certa fides Patris*
Alti, relictis sedibus ætheris,
(Vis tanta amoris) venit vltro
Visere terrigenas iacentes,
Captosque ceco Tartarei videns
Serpentis astu, quos gemitus dedit?
Quid corde non hausit doloris?
Corpore non subijt pericli?
Vix è sacrata Virginis aureę
Insignis aluo prodierat Puer,
Repente dementis Tyranni.
Dira solo fugit arma verso.
Exinde duris vsque laboribus
Certare miro robore gestijt,

Quot

Quot ille pugnans sæua in ipsis
Vulnera vulneribus recepit?
Heu quo columnam carmine prosequar,
Caputque acutis sentibus obsitum?
Quo flagra tandem, purpuræue
Ludibrium memorabo versu?
Maiora restant; verum animus labat
Mœrore fractus; en tibi SINDONE
In sacra, acres, seuique casus
Purpureo varij cruore.
Insultet ergo Bellua centiceps
Quantumque possit perstrepat impius
Iudęus, & cęco furore
Hęreticus furiat proteruus.
Tu spem reduces mentibus anxijs
Quæ es sacra terris (creditur) arduis
Cuique Plebs optat decenter
Festa pijs celebrare votis.

Eiusdem, Enigma.

Non sum, quod fueram, fueram quod sum, tamen esse
Quod poteram, non sum, sumq;, quod haud poteram.
Sum, non sum; possum, non possum; moxque futurus
Quod fueram, nec ero, nec fore non potero.

De Vrbe Camb. ad Ducem.

Vrbs tua clara fuit, sed nunc clarissima porro est,
Hac adeo clara, SINDONIS *effigie.*
Non Cœlo inuideat, Cœlum fœlicius vllum
Haud videat, quàm quod SINDONIS *Ora beant.*
Sydera, Luna, Deus, Cœlestia Lumine replent,
En tibi in effigie hac, Sydera, Luna Deus.

MA-

SINDON
MARII PETRI PINGONII
Fr. quondam Nantuacen. Pr.

CONDIDIT *certis monimenta veri*
Mysticis signis Opifex Supernus :
Liquit hæc tandem reserata certæ
Signa Salutis.
Nonne Iöseph tunicam rubentem Gen. 37.
Prębitam Iacob perhibent ocellis ?
Luxit, hunc tanquàm Fera deuorasset :
Ast cruor hœdi.
Pallio vertex Eliæ retectus, 3. Reg. 19.
Cum pios vulgus iacularet armis :
Pallij virtus, populos domauit,
Regibus vnctis
Eestibus Samson, spolijsq; donat
Conscios vates, quibus obsecutus, Iudic. 14
Vir fidem seruat facilis, tametsi
Fraude petitus.
Hæc eum tendunt, Genitum Tonantis
Deprimi terris, lacerumque tolli.
Liuor ó cæcus, dolus & suorum,
Quosque redemit.
Hic Iösephi gerit innocentis
Vt typum, gestis Eliam præiuit,
Vt refert CHRISTVM *tua dextra Samson,*
Cuncta potentem.
Quanta in ingratos Bonitas refusa.
Testis est SINDON *maculata plagis.*
Sed Pijs SINDON *eris ex trophæo*
Numinis instar.

BE-

BEROLDI PINGONII FIL.

HAEC est indubitata veré imago,
Nullis ficta coloribus, manuúe.
Sed quæ conglaciata, glutinata,
Ac si sponte sua, siue arte fulgens,
De sudore, cruore, de flagellis,
Et de sentibus in caput reflexis:
Quini conscia vulneris (Nephandum)
Quæ CHRISTVS *Deus, atque Homo pudenter,*
In vili Cruce, ferre non refugit,
Vno, proque Homine à Deo reiecto.
Hæc quæ cuncta refert verenda SINDON.
Nunquàm quisquàm hominum refertur vsquàm
Hoc immane genus necis subisse,
Quem post SINDONE *conderet superstes.*
Non ad SINDONIS *ęmulationem,*
Tam crudele nephas patrasset vllus.
Exemplo sine, CHRISTVS *vnus, ille est*
Passus talia, SINDONI *inuolutus.*
SINDON *vna igitur sit hæc, necessum est.*



EXEMPLAR BVLLAE IVLII II. PP.

IVLIVS Episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Romanus Pontifex ad Apostolicę dignitatis apicem, sacramq; Petri sedem Diuina dispositione vocatus. Salubria vota fideliũ, presertim Nobilium, sibi, & eidem sedi deuotorum, ex quibus immensa Dei miseratio super filios hominum, qui cum illi ex peccato primi Parentis captiui tenebantur sub lege mortis, & damnationis, mirabiliter altitudo Diuini consilij disposuit, vt filius Patris vnigenitus, in eadem substãtia sibi coëqualis, & ęternus formam serui acciperet, & pro nobis languores & dolores nostros perferret in corpore suo, tanta dilectionę, tantaq; magnitudinè amoris, iustis pro iniustis consiliatus, flagella, vulnera, spinas, contumelias sustinens, ligno Crucis affigeretur, sanguinem proprium effundens, factus obediens vsque ad mortẽ: Ne sanguinis aspersionis, ac vulnerum, & dolorum, quę pro nostra redemptione sustinuit: tantiq; beneficij CHRISTI fideles, à Tartareis faucibus liberati, immemores videantur: cum pia compassione lachrimarum dignis laudibus recolitur. locaq;, in quibus pretiosus, & verus ipsius CHRISTI sanguis, & imago conspicitur venerentur: ac gloriosa virgo MARIA, eius genitrix, quæ pro peccatoribus sedulo, filio suo preces effundit, glorificetur: pro fidelium prędictorum animarum salute, ad exauditionis gratiam libenter admittit, & ijs quæ propterea per religiosas, & alias Ecclesiasticas personas ipsorum Nobilium ordinatione, ad ipsius Dei laudem, & gloriam facta fuisse dicuntur, libenter, cum ab eo postulatur, Apostolici adijcit muniminis firmitatem, ac statuit, & ordinat, prout in Domino cõspicit salubri-

ter expedire. Sanè exhibita nobis nuper pro parte dilecti filij, Nobilis viri Caroli Ducis, & dilectę in CHRISTO filię, nobilis mulieris Claudiæ, quondam Philippi Ducis Sabaudię relictæ, Ducissę, & eiusdem Caroli matris petitio, cõtinebat. Quod ipsi ad singularem, quem ad Ecclesiam, (Capellam sanctam nũcupatam, castri Camberiaci, Ducatus Sabaudiæ Grõnopolitanẽ. Dioc. quàm aliàs fęlicis record. Paulus PP. II. in Collegiatam erexit, & deinde pię mem. Sixtus PP. IIII. prædecessores nostri, voluerũt Capellam sanctã appellari.) Ipsi gerunt, prout eorum antecessores Sabaudiæ Duces gesserunt, deuotionis affectum: maximè ob pręclarissimam SINDONEM, in qua ipsæ Dominus noster IESVS CHRISTVS in monumento positus, inuolutus fuit, & quæ in quadam capsa argentea honorificè, & deuotè conseruatur, in qua, (prout idem Sixtus pręde cessor, in quodam tractatu, quem composuit de ipso sanguine,) affirmat quod ipsius IESV CHRISTI verus sanguis, & imago conspiciantur, & ad quam, ob tantæ reliquiæ deuotionem & veneratione, pręsertim diebus quibus ipsa SINDON ostenditur, ac miracula quæ in die inibi altissimus circa fideles ipsos pręfatæ SINDONIS deuotos operatur, fidelium pręadictorum multitudo confluit, solennitatem & officium ipsius SINDONIS per certos religiosos, aut alias Ecclesiasticas personas cum Missa, lectionibus, capitulis, versiculis, responsorijs, hymnis, & orationibus congruentibus & deuotis ordinari fecerunt, ac dilecti filij Decanus & Capitulum dictę Ecclesię, etiam pia deuotione ducti statuerunt, quod diebus Sabbati officium beatę MARIAE Virginis, prout in Ecclesia sanctę Marię maioris de Vrbe celebratur, in ipsa Ecclesia, Capella Sancta nuncupata, solenniter pro Diuino officio celebretur. prout in ipsius officij SINDONIS ordinatione, quam in Cancellaria Apostolica diligenter inspici, & omissis signis, ac caracteribus de verbo

ad

ad verbum pręſentibus inſeri fecimus, continetur, & in ſtatuto, & ordinatione Decani, & Capituli prędictorum plenius dicit contineri. Quare pro parte Ducis, & Ducisſę prędictis nobis fuit humiliter ſupplicatum, vt ordinationi officij SINDONIS, diurni & nocturni, cum ipſius Miſſa, lectionibus, verſiculis, reſponſorijs, capitulis, & orationibus ſuis, & alijs in eo contentis, necnon ſtatuto, & ordinationi Decani, & Capituli prædictorum, pro illorum ſubſiſtentia firmiori, robur Apoſtolicę cõfirmationis adijcere, dictamq; Eccleſiam, Capellam ſanctam, ſanctę SINDONIS nuncupari debere, Solennitatemq;, ſeu feſtum dictæ Sanctę SINDONIS in craſtinum feſtiuitatis Inuentionis Sanctę Crucis: illiusq; officium prędictum, ab omnibus & ſingulis ſubditis dicti Ducis celebrandum fore, ſtatuere, & ordinare: aliasq; in pręmiſſis opportune prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur Sacri Apoſtolatus miniſterio, licet immeriti, Superna diſpoſitione pręſidentes: attẽdentes quod ſi ſanctam Crucem, in qua ipſę D. noſter IESVS CHRISTVS pependit, & per quam redempti ſumus, adoramus, & veneramur, dignum profecto videtur, & debitum, ipſam SINDONEM, in qua reliquię humanitatis CHRISTI, quam Diuinitas ſibi copulauerat, videlicet, ipſius veri ſanguinis, vt præfertur, maniſta conſpiciantur, venerari, & adorare debere. Cupientes Diuinum cultum vbiq; vigere, & augere, fideleſq; ipſos, quos idem D. noſter IESVS CHRISTVS in ſanguine ſuo lauit, ſuo redemptori, eiuſq; glorioſę genitrici, cęlebri feſtiuitate, in veneratione gratias, & laudes agere. Huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, ordinationem officij pręfatæ SINDONIS, diurni & nocturni, cum eius Miſſa, lectionibus, verſiculis, reſponſorijs, capitulis, orationibus, & alijs in ea contentis, ac ſtatutũ & ordinationẽ celebrationis officij beatæ MARIAE Virginis, Decani, & Capituli prædictorum, approbamus, &

confirmamus:& præsentis scripti prȩconio cōmunimus:supplentes omnes, & singulos defectus, si qui forsan interuenerint in eisdem. Et nihilominus Ecclesiā prȩfatā Capellam sanctam sanctȩ SINDONIS nuncupari, solemnitatēq;, seu festum prȩfatæ sanctæ SINDONIS, in crastinum festiuitatis Inuentionis Sanctȩ Crucis, ipsiusq; officium prædictū, ab omnibus & singulis subditis dicti Ducis, fore celebrandum statuimus, & ordinamus. Non obstan. constitutionib. & ordinationib. Apostolicis, cȩterisq; contrarijs quibuscunq;. Tenor vero officij sanctȩ SINDONIS IESV CHRISTI. Ad Vesperas, supra Psalmos, Antiphona, Gaude fȩlix lȩta Sabaudia, SINDONIS dabis mundo gaudia. Gaude tota mater Ecclesia, nouæ laudis agens solennia, Alleluya. Cȩterȩ Antiphonæ accipiuntur in Laudibus. Psalmi Vesperorū. Credidi ad Dominum. Eripe me domine. Clamaui voce mea. Capitulum. Acceperunt Ioseph, & Nicodemus corpus IESV, & ligauerunt illud linteis, cum aromatibus, sicut mos est Iudȩis sepelire. Deo gratias. Hymnus. Gaude mater ecclesia, lȩtam agens memoriam, quȩ SINDONIS solennia, mittis ad Cȩli curiam. Ioseph relicto palio, liber fugit, noua arte derelicto iam linteo, CHRISTVS surrexit a morte. Aurum in petra latuit, vt Sol fulgens sub modio, CHRISTVS iacuit triduo, sic inuolutus SINDONE. lectus regis Salomonis, Cella plena aromatum, vellus fusum Gedeonis, hortus clausus carismatum. Tempore Paschali. Quȩsumus auctor omniū. Tempore Ascensionis. Memento nostrum. Vers. In hac sancta SINDONE adoramus te Domine, Alleluya. Resp. Tuam gloriosam recolimus pasśionem, Alleluya. Ad Magnificat. Pontifex sacerdos maximus, super cuius caput fusum est vnctionis oleum, & cuius manus in Sacerdotio consecratȩ sunt, vestitus est sanctis vestibus, Allel. Orō. Omnipotens sempiterne Deus, qui in memoriam pasśionis vnigeniti filij tui, sanctā

eius

eius SINDONEM, cum expressa ipsius effigie, venerandam reliquisti in terris, tribue quæsumus nobis, vt per virtutem eiusdem sanctæ SINDONIS, faciem tuam contemplari mereamur in cœlis; Per eundem dominũ. Ad matutinas, Inuitatorium. CHRISTVM regem, in sepulcro inuolutum SINDONE, Venite adoremus, Alleluya. ps. Venite. Hymnus, vt in Vesperis, Gaude mater. In primo nocturno, Antiphona. Rebecca colli Iacob, nuda contexit, virgo filium pannis Inuoluit. Alleluya. ps. Cum inuocarem. Antiphona, Rahab sub ligno explorantes abscondit: plebs fidelis CHRISTI effigiem linteo impressam suscepit. Allel. ps. Domine quis habitabit. Antiphona, Samuel accinctus Ephot, linteo ante faciem Domini ministrabat. CHRISTVS præcinctus linteo discipulorum pedes lauabat. Alleluya. ps. Conserua me. Vers. In hac sancta SINDONE adoramus te domine. Allel. Resp. Tuã gloriosam recolimus passionem, allel. Sanctus Thomas de Aquino, super quatuor Euangelistis, ex Varijs ecclesiæ Sacris doctoribus, lectio prima. Postq̃ Euangelista Matheus (vt glosa ait) retulit ordinẽ Dominicæ passionis, & mortẽ: nunc agit de eius sepultura, dicens. Cũ autẽ vespere factũ esset, venit homo quidã diues ab Arimathia, nomine Ioseph, qui & ipse discipulus erat IESV. Vt autem Rhemigius super Matheum ait, Arimathia ipsa est Ciuitas Samuelis, quæ sita est in regione Chanamanea, iuxta Diespolim, quæ secundum Hieronymum super Marcum, interpretatur, deponens. De qua fuit Ioseph, qui venit ad deponendũ corpus CHRISTI de Cruce. hic autem, teste Rhemigio, secundum Seculi statum, magnæ fuit dignitatis, sed multo maioris meriti apud Deum fuisse, laudatur, Si quidem iustus fuisse describitur. Decebat quippe eum talem existere, qui corpus Domini sepeliret, quãtus per iustitiam meritorum dignus esset tali officio. Et secundum Bedam, super Marcum. per nobilitatem

tatem potentiæ Secularis, facultatem posset obtinere ministrandi. Ideo dicitur ꝙ erat nobilis Decurio, expectans regnum Dei. Decurio autem vocatur, quia sit de ordine Curię, & officium Curię administraret. Nō enim quilibet ignotus, aut mediocris, ad Pręsidē Romanæ potestatis accedere poterat, & Crucifixi corpus impetrare. Vt autē in alio Euangelio ait Hieronymus. Ioseph iste Boulites appellatur, id est consiliarius, siue vir magni consilij, quia non acquieuit Iudęorum prauo consilio, de quo quidem putant primum Psalmum fuisse compositum. Beatus vir qui non abijt in cōsilio impiorum. Tu autem Domine. Resp. Mulier sapiens operata est opere manuum suarum, digiti eius apprehenderunt fusum, Sindonem fecit, & vendidit. Allel. Vers. Hanc iustus Ioseph ab Arimathia, mercatus est SINDONEM, quam fecit. Lectio secunda. Marcus, prouide in Euangelio ait Ioseph autem mercatus est SINDONEM, & deponēs eum inuoluit in SINDONE. Super quę Hieronymus, in Omelia ait, Pretiosum corpus, pretiose sepeliens, cum esset discipulus Domini, sciebat qualiter corpus Domini honorari deberet. Idem vero super Marcum: Ex simplici sepultura Domini, Ambitio diuitū condemnatur, qui nec in tumulis quidem possunt carere diuitijs. Possumus autem iuxta intelligentiam spiritualem & hoc sentire, ꝙ corpus Domini non auro, non gemmis, non serico, sed linteamine puro obuoluendum sit. quamq̃ & hoc significat, ꝙ ille in SINDONE munda inuoluit IESVM, qui pura mente eum susceperat. Vel aliter, secundum Remigium. quia Sindon lineus pannus est, linum autem ex terra procreatur, & cum magno labore ad candorē perducitur, quo designatur, q̄a corpus illius, quod ex terra, id est ex Virgine sumptum est, per laborem paßionis, peruenit ad candorem immortalitatis. Tu autem. Resp. Noë nudatus iacuit, quod cum vidisset Cham, patrem deridens, nūciauit fratribus suis,

Sem,

Sem,& Iaffet, qui palio operuerunt eum. Allel. Verſ. Quem Iudęi nudauerunt, Ioſeph, & Nicodemus, in SINDONE munda inuoluerunt. Qui palio, Lectio III. Hinc autem (vt Rabanus ait) Eccleſię mos obtinuit, vt ſacrificiũ altaris, non in ſerico, neq; in panno tincto, ſed in licio terreno celebretur, vt a beato PP. Siluestro legimus eſſe ſtatutũ. Secũdum autẽ Hilarium, Iuſticię Ioſeph Apoſtolorum habet ſpeciem, hic in munda SINDONE corpus inuoluit quidem, in linteo reperimus, de Cęlo ad Petrũ, vniuerſorum animantiũ genera ſub miſſa: ex quo intelligitur, ſub lintei illius nomine, conſepeliri CHRISTO Eccleſiã. Vt autem ait Origenes, non fortuito ſcriptum eſt, quoniam inuoluit corpus in SINDONE munda, & poſuit in monumento nouo, & aduoluit lapidem magnũ. quoniam omnia quę ſunt circa corpus IESV, munda ſunt, & noua, & omnia magna valde. Tu autem. Reſpon. Cecidit ſuper Petrum mentis exceſſus, & vidit cœlum apertum, & deſcendens vas quoddam, velut linteum magnum quatuor inicijs ſubmitti de cœlo in terram, Allel. Verſ. In huius quippe lintei nomine, CHRISTO conſepelitur Eccleſia. Allel. Verſ. Gloria patri. Allel. In ſecundo nocturno, Antiphona, poſuit Moyſes velamen ſuper faciem ſuam. Milites vero velauerũt faciem CHRISTI, & conſpuentes colaphis eum ceciderunt. Allel. p̃s. Domini eſt terra. Antiphona. Samſon viros veſtibus ſpoliauit. Ioſeph vero ab Aramathia CHRISTVM in SINDONE munda inuoluit. Allel. p̃s. Dominus illuminatio. Antiphona. Tulit mulier velamen, & poſuit ſuper os putei. Ioſeph vero aduoluit ſaxum magnum ad oſtium monumenti. Allel. p̃s. Exaltabo te Deus. Verſ. Ioſeph & Nicodemus acceperunt corpus IESV. Allel. Reſp. Et ligauerunt illud linteis, cum aromatibus. Allel. Lectio 4. Sequitur in Euangelio Marci, & poſuit eum Ioſeph in monumento, quod erat exciſum in petra, & aduoluit lapidem ad oſtium monumenti.

Vnde

Vnde (ait Hieronymus) ſepultura CHRISTI, reſurgimus deceñſione eius ad Inferos, nos aſcendimus ad Cœlos. huic enim (vt in libro Iudicum dicitur) inuenitur mel in ore Leonis mortui. Theophilus, vero vos admonet, dicẽs: incitemus in nos Ioſeph, recipientes CHRISTI corpus per vnitatem, & ponamus illud in monumento exciſo de petra, in anima, memorante, & non obliuiſcente Deum. illa enim anima ex petra exciſa eſt, id eſt, ex CHRISTO, quę continet firmitatem. Inuoluere etiam debemus ipſum in SINDONE, id eſt, in corpore puro ſuſcipere, SINDON namq; eſt corpus, quod eſt corporis indumentum: decet enim non ſolum puram animam corpus CHRISTI ſuſcipere, ſed in corpore puro. Inuoluere autem oportet, ſed non aperire, nam ſecretum clauſum eſt, & occultum. Tu autem. Reſp. Daniel leuauit oculos ſuos, & ecce vir vnus veſtibus lineis, & renes eius accincti. Allel. Verſ. Hunc Ioſeph & Nicodemus ligauerunt linteis, cum aromatibus, ſicut mos eſt Iudęis ſepelire. Et renes. Lectio v. Quia vero (vt ait Chriſoſtomus) breuitate temporis vrgebantur, nona enim hora, mortuo CHRISTO, deinde accedentibus ad Pilatum, & deponentibus CHRISTI corpus, veſpera imminebat, ideo poſuerunt eum in proximum monumentum: Vnde ſubditur, erat autẽ in loco vbi crucifixus eſt, hortus, & in horto monumentũ nouũ, in quo nõ q̃s quam poſitus fuerat, ꝙ Diuina diſpenſatione factum eſt, ne alterius alicuius qui cũ eo iaceret, exiſtimaretur reſurrectio facta eſſe: ſicut etiam (vt ait Auguſtinus) in MARIAE virginis vtero, nemo ante illum, nemo poſt illum ſuſceptus eſt. per hoc etiam (ſecundum Theophilum) quod nouum fuit ſepulchrum, datur intelligi, quod ꝑ CHRISTI ſepulturã, omnes innouamur, morte, corruptione deſtructa. Attende etiã eũ abundantiã ꝓ nobis ſuſcipere paupertatis, nã qui in vita domum non habuit, poſt mortem quoq; in alieno ſepulcro

pulcro

pulchro reconditur,& à Ioseph operitur. Tu auté. Resp. Sapientia stragulataqi vestem fecit sibi, bissus, & purpura vestimentum eius, SINDONEM fecit, & vendidit, & angulum, tradidit Cananeo. Alleluia. Vers. Ioseph deponés eum inuoluit SINDONE, & posuit in monumento. Et angulú. Lectio vj. Postea sequitur, ibi, ergo propter Parasceuem Iudæorum, quia iuxta erat monumentum, posuerunt IESVM. Vbi Augustinus ait, acceleratum, vult intelligi sepulturam, ac vesperasceret, quando iam propter Parasceuem, (quam cœnam Iudęi, Latini, conuiuium vocant,) facere aliquid non licebat. propinquum autem, (secundum Chrisostomum) fuit sepulchrum, vt discipuli possent, cum facultate accedere, & cósideratores fieri eorú, quę futura erant in resurrectione, & non solum ipsos, sed vt etiam inimici tunc testes sepulturæ essent, custodiétes sepulchrum, & vt falsus ostenderet̃ is, qui erat de furto sermo. Iustitiæ, autem Ioseph, apud Bedam aptè, interpretatur per acceptionem boni operis: quo monemur, vt corpus Domini dignè percipere mereamur. Hinc Theophilus ait, tunc etiam quodammodo CHRISTVS apud auaros mortificatur in paupere famem patiente. Esto ergo Ioseph, tege CHRISTI nuditatem non semel, sed in tuo tumulo spirituali considerando reconde, & cooperi, & misce mirrham, & aloem amaricantia, considerando vocem illam, Ite maledicti in ignem æternú, quia nihil amarius existimo. Tu auté. Resp. Quis est iste qui venit de Edon, tinctis vestibus de Bosra, sicut calcantium in torculari? Iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine virtutis suæ. Alleluia. Vers. Milites exuerunt illum purpura, quem Ioseph, & Nicodemus sepelierunt in SINDONE munda. Iste formosus. Gloria patri. Allel. In tertio nocturno, Antiphona, Apprehenderunt, Philistini Sanson, & vinctum catenis clauserunt in carcere, Quem Ioseph & Nicodemus ligauerunt linteis, & posuerunt in

monumento. Alleluia. Psal. Deus in nomine. Antiphona, Rex Babilonis Sedechiam regem uinxit compedibus, & posuit in domo carceris. Pilatus autem ait, Ite custodite sicut scitis. Alleluia. Psal. Notus in Iudæa Deus. Antiphona, Missus est Hieremias cęsus in carcerem. Abientes autem principes Sacerdotum, miserunt, sepulchrum signātes cum custodibus. Allel. p̄s. Domine Deus salutis. Vers. Ioseph accepto corpore inuoluit illud in SINDONE. Alleluia. Resp. Et posuit illud in monumento suo nouo, quod exciderat in petra. Alleluia. Lectio vij. Secundum Ioannem. In illo tempore. Rogauit Pilatū Ioseph ab Arimathia, eo quòd esset discipulus IESV, occultus autem propter metum Iudæorum, vt tolleretur corpus IESV, & permisit Pilatus. & reliqua. Expositio Euāgelij ex varijs Ecclesię sacris Doctoribus. Vt enim Chrisostomus in Omelia ait, Existimans Ioseph extinctum esse Iudæorum furorem, CHRISTO crucifixo, cum fiducia accesfit ad Pilatū, vt deponendum funus procuraret, eo quod esset discipulus IESV, non ex duodecim, sed ex septuaginta. sed quomodo nullus ex duodecim, & si timorem Iudæorum quis pro causa assumpserit, hic eodem detinebatur timore, vnde dicitur, occultus autem propter timorem Iudæorum. Vt autem Græcus super Lucam, fuerat quandoq; Ioseph occultus CHRISTI discipulus. denique vinculum timoris rumpens feruentior factus, Dominicum corpus, turpiter pendens, à ligno deposuit, comparans pretiosam margaritam, verborum modestia. Et secundum Marcum, Audacter introiuit ad Pilatum, & petijt corpus IESV. super quo Theophilus ait. Audet ausum laudabilem, non enim excogitauit a diuitijs decidam, & expellar à Iudęis, si corpus petam eius, qui est blasphemus condemnatus. hinc & in Omelia Hieronymus. Inspice huius viri fortitudinem, in mortis enim periculum se tradidit, inimicitias omnes assumens, propter beneuolentiam CHRISTI, & non

& non ſolum audet corpus CHRISTI petere, ſed & ſepelire: vnde ſequitur, & accepit corpus IESV, & inuoluit eũ in SINDONE munda. Auguſtinus verò de concordantia euangeliſtarum ait, In extremo illo officio funeri exhibendo, minus curauit de Iudæis, quamuis ſoleret in Domino audiẽdo, eorũ inimicitias deuitare. Hinc Beda in Omelia ait, ſedata quacunque Iudæorum ſęuitia, eo quòd ſe aduerſus CHRISTVM præualuiſſe gaudebant, corpus CHRISTI petijt Ioſeph, quoniam non videbatur cauſa diſcipulatus, ſed pietatis veniſſe, vt funeris officium impẽderet, quòd homines nõ ſolum bonis, ſed etiam malis ſolent impendere. Tu autem Domine. Reſp. Videntes Ioſeph fratres eius, nudauerunt eum tunica talari, & polluta, quam in ſanguine hœdi tinxerũt, miſerũtq; eum in ciſternã. Alleluia. Reſp. Erat autem tunica inconſutilis deſuper, contexta per totum. Miſeruntq;. Lectio viij. adiungitur autem ipſi Ioſeph, ſecundum Bedam, Nicodemus; vnde ſequitur, venit autem & Nicodemus, qui venerat ad IESVM nocte primum, ferens mixturam mirrhę & aloes, quaſi libras centum. Vbi Auguſtinus ait, non ita diſtinguendum eſt, vt dicamus primum ferens mixturam mirrhę, ſed vt quod dictum eſt primum, ad ſuperiorem ſenſum pertineat. venerat enim ad IESVM Nicodemus nocte primum: quòd idem Ioannes narrauit in prioribus Euangelij ſui partibus, hoc ergo intelligendum ad IESVM, non tunc ſolum, ſed tunc primum veniſſe Nicodemum, veniſſe autem poſtea vt fieret audiendo diſcipulus: fuerunt autẽ pigmenta, quę maximè ad corpus apta ſunt, quæ plurimũ cõſeruare ſolent & nõ ꝑmittere cito ſubijci corruptioni. adhuc enim vt de nudo homine diſponebãt, ſed tamen nullam dilectionem demonſtrabant. Tu autem. Reſp. Dauid accinctus Ephor lineo obtulit holocauſta corã Domino, & pacifica quem Micol filia Saul humilitatẽ proſpiciens deſpexit. Allel. Verſ. Prætereuntes blaſphemabant eũ,

mouentes capita sua;quem Micol. Lectio 8. Sequitur autem vt Euangelista, ait, Acceperunt ergo corpus IESV, & ligauerunt eum linteis, sicut mos est Iudęis sepelire. Super quo Augustinus ait, Euangelista admonuit in huiusmodi officijs, quæ mortuis exhibētur, morem cuiuscunque gentis esse seruandum: erat autem illius gentis consuetudo vt corpora mortuorum varijs aromatibus condirentur, vt diutius seruarentur illęsa: hinc idem, de concordantia Euangelistarum ait, neque autem hîc Ioannes alijs repugnat, neque enim illi qui Nicodemum tacuerunt, affirmauerunt à solo Ioseph Dominum sepultum, quamuis solius commemorationem fecerũt. aut quia illa vna SINDONE à Ioseph inuolutum dixerunt, propterea prohibuerunt intelligi, & alia lintea potuisse afferri à Nicodemo, & superaddi, vt verum narret Ioannes, quòd nõ vno linteo, sed linteis inuolutus sit, quamuis & præter Sudarium, quod capiti adhibebatur, & institas fuisse qbus corpus totũ alligatũ esset, & quia omnia de lino erant, etiã qđ vere SINDON ibi fuit, veracissimè dici potuit: ligauerunt linteis, lintea quippe generaliter dicuntur, quæ lino texuntur. Tu autem. Resp. Ingressus Aaron tabernaculum, vt olocausta offerret super altare Domini, pro peccatis filiorum Israel. tunica linea indutus est. Allel. Vers. CHRISTVS Sacerdos in ęternum, secundum ordinem Melchisedech. Tunica linea. Vers. Gloria patri. Alleluia. Te Deum laudamus. Vers. Tuam sanctam SINDONEM adoramus Domine. Alleluia. Respon. tuam gloriosam recolimus passionem. Alleluia. In laudibus. Antiphona. Adsunt honestę SINDONIS læta solennia, pulsu Psalterij plaudat Ecclesia. Alleluia. Psal. Dominus regnauit, Antiphona. in Helię pallio, & Sãsonis spolio, SINDON demõstratur, Allel. ps. Iubilate. Antipho. Bissi stola scinditur, CHRISTVS lino tegitur, sepulchro locat. Alleluia. Psal. Deus Deus meus. Antiphona. Aurum latet occultatũ, sidus iacet obumbra-

bratum, granum tegit palea. Alleluia. Psalm. Benedicite. Antiphona. Veste nudum crucifigunt Iudæi, quem sepeliunt Ioseph & Nicodemus. Alleluia. Psalmus. Laudate Dominum de cœlis. Capitulum. Acceperunt Ioseph. Hymnus. Hymnum nouæ lętitię, dulci productum cantico, chorus depromat hodie linteo Dominico. Petra in petra latuit, vermis fuit & non homo, leo prostratus iacuit, CHRISTVS repostus in humo, concha plena aromathum, testa nardi concassata, latet Sidus obumbratum, margarita conculcata, granum mundum à palea, corpus iacet examine, vellus siccum in area, cadit Deus pro homine. Tempore Paschali. Quæsumus. Tempore Ascensionis. Tu esto. Vers. Introiuit Petrus in monumentum, & vidit linteamina posita, Alleluia, Alleluia. Resp. Et Sudarium ꝙ fuerat super caput eius, Alleluia, Allel. Ad Benedictus. Antiphona. Heliseus in sepulchro mortuũ suscitauit, CHRISTVS sua morte hominem à peccati morte liberauit, Alleluia. Psal. Benedictus Deus Deus Israel. Oratio, vt in vesperis. Ad primam, Antiphona. Adsunt honestę SINDONIS. Ad Tertiam, Sextam, & Nonam, Antiphonę. Laudum. Ad Tertiam, Capitulum, Acceperunt Ioseph. Resp. Tuam sanctam SINDONEM adoramus Domine, Alleluia, Allel. Vers. Tuã gloriosam recolimus passionẽ. Resp. Alleluia, Allel. Vers. Gloria patri. Resp. Tuam sanctam. Vers. Ioseph & Nicodemus acceperunt corpus IESV, Alleluia. Resp. Et ligauerunt illud linteis cum aromatibus, Alleluia. Ad Sextam. Capitulum. Accepto corpore, Ioseph inuoluit illud in SINDONE munda, & posuit illud in monumento suo nouo, quòd exciderat in petra. Deo gratias. Respon. Ioseph & Nicodemus acceperunt corpus IESV. Alleluia, Alleluia. Vers. Et ligauerũt illud cum aromatibus. Resp. Allel. allel. Vers. Gloria patri. Res. Ioseph. & Ad Nonã. Capitulum. Ioseph autem mercatus est SINDONEM, & deponens eum inuoluit SINDONE, & posuit eum
in

in monumento, quod excisum erat in petra. Deo grãs. Resp. Ioseph accepto corpore inuoluit illud in SINDONE munda, Alleluia, Alle. Vers. Et posuit in monumento suo nouo, quod exciderat in petra. Resp. Alleluia. Vers. Gloria patri. Resp. Ioseph accepto. Vers. Introiuit Petrus in monumentum, & vidit linteamina posita. Allel. Resp. Et SVDARIVM quod fuerat super caput eius, Alle. Ad Vesp. Antiphonę laudum, Psalmi, & Hymnus, vt in primis Vesperis. Ad Magnif. Antipho. Cum mortuus fuerit Sacerdos magnus, tẽpore illo reuertet fugitiuus, & ingredietur Ciuitatẽ, & domũ suã, de qua fugerat. Allel. ps. Magnificat, Oratio. Ops sempiterne Deus. Missa sãctę SINDONIS. Introitus. Respice Domine de excelso in faciem CHRISTI tui, sancto velatam SVDARIO, & non recedant ab oculis cicatrices eius in perpetuum. qui sibi obediens factus est vsque ad mortem. Vers. Signatum est super nos lumen vultus tui Domine, dedisti lætitiam in corde meo. Vers. Gloria patri. Oratio. Omnipotẽs sempiterne Deus. vt supra. Quinta Lectio, libri Genesis: In diebus illis, tulerũt tunicam Ioseph fratres eius, & in sanguine hœdi, quem occiderant, tinxerunt, mittentes qui ferrent eam ad patrem, & dicerent, hanc inuenimus, vide vtrum tunica filij tui sit, an non? quam cum agnouisset pater, tunica filij mei est, fera pessima comedit eum, bestia deuorauit Ioseph, scissis vestibus, indutus est cilicio, lugens filium multo tempore, congregatisque cunctis liberis eius, vt delinirent dolorem patris, noluit consolationem accipere, descendam ad filium meum lugens in Infernum. Resp. Mulier sapiens SINDONEM fecit, & vendidit, quam Ioseph ab Arimathia mercatus est. Vers. Venit Nicodemus cum aromatibus mirrhæ, & aloes, & sanctum sancto recluserunt sepulchro. Alleluia. Vers. Adoramus in nomine tuo CHRISTE, tuæ victoriosæ crucis vexillum, tuum diadema spineum, tuam sanctam SINDONEM, tuos ruben-

tes sanguine clauos, ac tuo sacro lateri immersam lanceam. Tempore Paschali. Alleluia. Vers. Surrexit CHRISTVS de sepulchro, derelicto Sudario, qui pro nobis pepēdit in ligno. Tempore Ascensionis, Alleluia. Ascendens CHRISTVS tractus. In Septuagesima. Ego dixi in dimidio dierum meorum vadam ad portas Inferi. Vers. Quæsiui residuum annorum, meorum, dixi nō videbo Dominum Deum in terra viuentiū. Vers. Non aspiciam hominem vltra, & habitatorem quietis. Vers. Generatio mea ablata est, & conuoluta est à me, quasi tabernaculum pastorum. Vers. Præscisa est velut à texente vita mea, dum adhuc ordirer, succidit me, de mane vsque ad vesperam finies me. Vers. Sperabam vsque ad mane, quasi leo sic contriuit omnia ossa mea. Vers. de mane vsque ad vesperam finies me. Sicut pullus hirundinis, sic clamabam, meditabar vt columba. Prosa. Plaudat cœli Ierarchia, noua sonet harmonia, pulsa millenario, hinc cōçordet in hac via, nostri chori melodia, pro sacro linteamine. Ioseph fratres deuestitum, vendunt, mittunt in Aegyptum, pro somnij crimine, luget Iacob deuoratum, cernens Ioseph vestimentum, tinctum hœdi sanguine, in Hellię pallio, & Sansonis spolio, SINDON pręmonstratur. Bissi stola cingitur, CHRISTVS lino tegitur, sepulchro locatur. Exit cibus de edente, fauus mellis de iacente, & dulcedo de forti. Rahab sub lino abscondit, quem virgo pannis inuoluit, CHRISTVM tradendum morti: tegunt patrem Sem, & Iafet, quem Cham ridet, dum sic iacet. condat Noë racemus. veste nudum crucifigunt, Iudæi quem sepeliunt Ioseph & Nicodemus, SINDON per quam gaudia fœlix iam Ecclesia sumens exaltatur: montem nubes operit, Deum SINDON contegit, homo sublimatur. Aurum latet occultatum, sidus iacet obumbratum, granum tegit palea. Radix CHRISTVS dum marcessit, ramus homo tunc virescit, salua Dei Idea: Gaude fęlix Sabaudia, Gaude tota Ecclesia, nouę laudis gloria. Artus fracti solidantur, ęgri currūt, & cu-

& curantur, virtutum frequentia. Rea pete suffragia, clama voca auxilia Plebs nimis egena. ergo laudes ꝑ linteo CHRISTI demus vestigio, idque voce plena. Tua morte suscitatos, bone IESV, & redẽptos, prece serua sedula. Apud thronũ Dei patris, cum precibus tuæ Matris, commenda per sęcula. Amen. Euangelium secundum Ioannem. In illo tempore rogauit Pilatum Ioseph ab Arimathia, eo quod esset discipulus IESV, occultus ꝓpter metum Iudæorum, vt tolleret corpus IESV, & permisit Pilatus. Venit ergo, & tulit corpus IESV. venit autem & Nicodemus, qui venerat ad IESVM nocte primũ, ferens mixturam mirrhę, & aloes quasi libras centum, acceperunt ergo corpus IESV, & ligauerunt eum linteis cum aromatibus, sicut mos est Iudæis sepelire. Erat autem in loco vbi crucifixus est, hortus, & in horto monumentum nouum, in quo nondum quisquã positus fuerat, ibi ergo propter Parasceuem Iudæorum, quia iuxta erat monumentum, posuerunt IESVM. Offertorium. Ingressus Aaron tabernaculum, vt holocaustum offerret super altare Domini, pro peccatis filiorum Israel, tunica linea indutus est. Tuã clementiã inuocantibus Domine. Pręfatio. qui salutem. Secreta. Accepta tibi sunto Domine, virtute sanctę SINDONIS hęc munera, cui ꝓ mundi salute, accepta extitit filij tui passio gloriosa, ꝑ eũdẽ Dominũ nostrũ. Cõio. Accepto corpore Ioseph inuoluit in SINDONE mũda, & posuit in monumẽto suo nouo, ꝙ exciderat in petra. Post cõi. Satiasti Domine in via familiã tuã muneribus sacris: quęsumus vt ꝑ virtutẽ sanctę SINDONIS, facie tua in Patria nos satiare digneris. Per dñm nostrũ. Deo grãs. Nulli ergo &c. hãc nostrę approbationis, cõfirmationis, cõmunitionis, suppletionis, statuti, & ordinationis paginã infringere. &c. Si qs autẽ attentare præsumpserit indignationẽ Dei omnipotẽtis &c. *Dat. Romę apud Sanctum Petrum, anno Domini* M.D.VI. *vij. Kalen. Maij, Pontificatus nostri anno tertio.*

Impendente Bulla plumbea.

FRANCISCI ADORNII GENVENSIS, SOCIETATIS IESVITARVM.

Epistola qua Peregrinatio

AB ILLVSTRISSIMO CARDINALI Sanctæ Praxedis ſuſcepta exponitur, Cùm ad inuiſendum ſacrum Linteum Auguſtam Taurinorum ſe contulit.

E' COMMVNI ITALICO IN LATINVM À IO. ANTONIO GVARNERIO CANONICO *Bergomenſi conuerſa.*



QVOD mihi exploratum erat, Venerande Pater, pro tuo ſummo in Carolum Borromeum Cardinalem S. Praxedis ſtudio, & ſingulari obſeruantia, tibi non ſolùm pergratum & periucundum futurum, ſi quæ is in peregrinatione geſsiſſet, cùm ſe Auguſtam Taurinorum ad inuiſendum ſacrum Linteum contulit, cognouiſſes; ſed etiam lętos & vberes fructus ex ea re capturum; occaſionemq́; habiturum, qua alijs plurimis eandem vtilitatem, & lętitiam impertire poſſes; foreq́; intelligebam, vt hæc omnia ad Dei laudem & gloriam reuocarẽtur: ommittendum non putaui, quin, quantum meminiſſe poſſem, rem omnem, vt geſta erat, ordine perſcriberem. Allobrogum Ducibus claritate generis antiqui, vetuſtæq́; fama gentis Sabaudę, & magnitudine imperij, quo magnam Galliæ, & non exiguam partem Italiæ ad hoc vſq; tempus obtinuerunt, nobiliſsimis, ſingulare hoc pietatis Inſigne, & ampliſsimus Theſaurus, ſacri Lintei, in quo Dominum no-

ſtrum Ieſum Chriſtum inuolutum ſepultum fuiſſe Euangeliſtę tradunt, nonnullis ab hinc ſeculis partus eſt. Incredibili quadam ratione, & omnium iudicio admirabili Seruatoris noſtri imaginem expreſſam in eo licet intueri : quæ partim auguſtiſsimo ſanguine figuratur ; partim quantùm licet conijcere , prętioſiſsimis vnguentis ; quibus Dominus noſter , prius quàm humaretur , vnctus eſt . pars corporis prior & poſterior mirabiliter diſcernuntur . quamuis autem forma totius rei expleta , perfectaq; integris lineamentis non definiatur: tamen ſingulæ corporis partes membrorum figura, optimè dijudicantur: loca vbi corona ex ſpinis intexta, vbi vulnus lateri inflictum , pręcipueq; vbi manus clauis confixæ hæſerint , diſtinguntur . Dictu mirabile eſt, quæ commotio intimorum ſenſuum, cùm ſacram & diuinam illam effigiem intueremur, nos occupauerit. præ pietate & religioſo, quo compũgebamur, animi ſtudio, lachrymę contineri vix poterant. Familiam Luſignanam regnum Cyprium & Hieroſolymitanũ multos quondam annos obtinuiſſe memorię proditum eſt. ex ea Carolotta orta poſtrema in Cypro regnauit. hæc Ludouico alterius Ludouici filio Allobrogũ, quos Sabaudienſes appellãt, Duci in matrimonium collocata, familiã hanc: & Gazę regiæ & regni Cyprij reliquit hęredem . hinc in inclytam hanc domum pręclariſsimum & ſacrum hoc monumentũ perueniſſe ſuperiores Duces à ſuis accepere, & eius rei memoriam per manus traditam, poſteritati reliquere. nonnulli etiam inſulam Rhodum à Turcis maxima multitudine circumſeſſam vehementiſsimeq; oppugnatam Amadeum Allobrogum Comitem ſummis obſidionis periculis eripuiſſe, & conſeruaſſe ferunt: ob eamq; cauſam cum cruce alba, qua ille ſua ipſius inſignia exornauit, tum ſacro Linteo à ſummo equitum Hieroſolymitanorum Magiſtro, qui animum memorem & gratum in

be-

benemerentem prȩstare studuit, donatum fuisse. Multi prȩterea Summi Pontifices literis hoc esse prȩclarũ & diuinum illud Linteum, de quo supra diximus, testati sunt. in ijs Xistus iiij. qui theologiȩ scientia floruit, in opusculo, quod de corpore & sanguine Christi confecit, hoc esse verum illud Linteum, in quo sanguinis veri vestigia, & signa, immo sanguis ipse extaret, commemorat. Primus Episcopus Cabilonẽsis, qui cxxx. ante annis loca, quibus sanctorum corpora, & variȩ reliquiȩ continẽtur, persecutus est, huius sanctissimi Lintei prȩcipuam mentionem facit. Plurima quoq; miracula, sacri Lintei vim, nobilitatemq́; declarant; quȩ grauissimis, certissimisq́; monumentis testata, & Chamberij, & Augustȩ Taurinorum in publicas tabulas relata passim celebrantur. in ijs illud insigne memorandumq́; visum est: nam cùm quadraginta, aut quinquaginta ab hinc annis, incendium in sacello, vbi sacrum Linteum situm erat, casu ortum esset; sicq́; omnia ignis absumpsisset, vt non solum cætera flammis, ruinisq́; ȩquarentur, sed lapides ipsi in calcem redigerentur; atq; capsula ipsa in qua Linteum collocatum erat, flagrans canderet: Lintei quidem nonnullȩ exiguæ partes incendio sunt deformatæ; sed cum ad Seruatoris figuram ignis peruenit, veluti restinctus constitit, integraq́; imago, vt adhuc videmus, remansit, & incorrupta: summo in honore, & magna in veneratione sacrum Linteum habitum est, tum, cùm Galli & Allobroges à nefarijs & fallacibus hȩreticorum doctrinis auersi, nihil de antiqua pietate & religione remiserant: tum certis & statis diebus Linteum spectandum promebatur, atque ex prouincijs, oppidis, vicis, & agris magni concursus venerãdi eius causa fiebant. has inclytas reliquias fama nobilitatas, summus ille Galliæ Rex Franciscus primus visendas putauit; Lugdunoq́; profectus pedibus Chamberium petijt: templumq́; piè & religiosè ingressus, sacrum

Linteum veneratus est. Eadem pietate & religione prędi-
tus Carolus regnantis nunc Ducis pater, cum duodecim vi-
rorum comitatu Augusta Taurinorum Chamberiacum op-
pidum, hoc exemplo memorabili, quod quatridui viam
aberat, pedibus iter fecit, vt sacrum Linteum venerabundus
inuiseret. Vnde Cardinali huius peregrinationis occasio sit
oblata, altius ordiemur. Erat Emanuel Philibertus Allobro
gum Dux, bellicis laudibus, & iustitiæ, pietatisq; gloria in-
signis. ceperat hunc admiratio Cardinalis sanctæ Praxedis
ex fama rerum, sanctè, pieq; gestarum; magnoq; desiderio
fruendæ eius suauissimę consuetudinis tenebatur: & vt fa-
miliares cum eo de summis rebus conferre sermones liceret,
exoptabat. de ratione explendæ huius sitis deliberāti Duci
de aliquorum consilio optimum visum est curare, vt sacrum
Linteum, cuius inuisendi studio Cardinalem ardere accepe-
rat, Chamberiaco Augustam Taurinorũ transferretur, vbi
transportatum est. Cardinalis se ad id inuisendum compa-
ruit: tempusq; in ante v. idus Septēbris, die festo ortus Diuæ
Virginis celebrato, itineri faciundo constitutum est. consi-
lio Cardinalis ad Emanuelem Ducem perlato, Franciscum
Linum, qui est à secretis, quiq; eundem locum apud Cardi-
nalē tenuerat, eiusq; spectata fides, & singularis prudentia
Cardinali magno vsui fuerat, misit, qui à Cardinale peteret,
vt hac profectione supersederet, quoad Heluetiorum Lega-
tos dimisisset; seq; ꝑpediem de tēporis opportunitate Car-
dinalem certiorem facturum pollicitus est. ea re à Cardinali
comprobata, non multo post Franciscus Linus cum manda-
tis de inuitando Cardinali Mediolanum reuersus est. dies
profectioni in ante nonas Octobris dicitur, anno à Christo
nato 1578. ordo & modus, qui in obeunda peregrinatio-
ne adhibendus censebatur, præscribit. Decernitur primùm,
vt decima hora è lectulis surgeretur: per vnius horæ & di-
midiæ

midiæ ſpacium corporum commodis inſeruiretur: Miſſę ſacrum à ſacerdotibus peageretur: à reliquis ſalutaris Euchariſtia, quæ de manu Cardinalis tradenda erat, ſumeretur: prima & tertia recitarentur: poſt inita via eæ preces, quæ ab iter facientibus ex Breuiarij inſtituto fieri ſolent, pronunciarentur: deinde, vt ritè & piè per duas horas ſpiritu oraretur, intimum & flagrans ſtudium adhiberetur: reliquum temporis, quo iter faciebant, roſarij pronuntiatione conſumeretur. id in duos choros diuiſi aptè & concinnè pręſtarent. ab aliquibus myſterij verſibus, qui cum denario ſalutationis angelicę numero, & diei tempore congruerent, ex ſodalitate aliquis initium duceret: & vt vt ij verſus ab omnibus exaudirentur, vnus pręgredientibus, alter ſubſequentibus illos repeteret. ijs perceptis omnes veluti ex compoſito ad meditandum idem myſterium mentem appellerent. orationem dominicam quiſpiam altiori voce ordiretur, eamq; perfectè & dilucidè pronuntiaret: cùm is dicendi finem feciſſet, qui proximum teneret locum, idem officium exequeret. idem à pręgredientibus & ſubſequentibus gereretur. quod etiam in recitanda ſalutatione angelica ſeruaretur. ſi quid temporis ſupereſſet, antequàm ad hoſpitium perueniretur, quod raro accidit, propterea quòd plurimum temporis in pronunciando roſario poneretur: id vel huiuſmodi, vel alijs obſecrationibus, vel pſalmis dicendis traduceretur; & ad ſingulos verſus breuis aliqua explicatio adhiberet. cùm ad hoſpitium ventum eſſet, ad templum, quod Principem locum teneret, recta pergerent. ibi ſexta & nona recitarentur. qui Romano ſeorſum ab illis, qui Ambroſiano ritu ſtatas officij preces perſoluebant, id munus præſtarent. recreati cibo, qui ſemper ex ijs, quibus quadrageſimę tempore veſcimur, inſtrueretur, ad templum redirent; ſtatæ preces veſpertinę fierent; poſt iter rurſus ingre-

gre-

grederentur: duę horę in meditationibus, & recitandis septem psalmis, & alijs precationibus, ea qua supra distinximus ratione, ponerentur. cùm ad diuersorium accessissent, ad primariam ędem viam flecterent. ibi persolutis cópletorij precibus, se omnes ad diuersorium reciperent. postquàm se quisque ex labore refecisset, corporisq; necessitati consuluisset, cibumq; cepisset, eorum, quę in itinere meditati erant, quibusq; orando & contemplando se quisque oblectasset, argumenta conferrent. eo colloquio absoluto, quę postero die contemplanda erant, proponerentur: inde cum suam quisque conscientiam excussisset, tum aqua benedicta aspersus se insuper Cardinalis benedictione munisset, cubitum discederet. tres sententię, in quibus prima die mente ac spiritu versati sunt, ijs euangelij locis continẽtur, quibus
Mat.4. domini nostri IESV CHRISTI peregrinatio maxime explicatur. ex ijs prima sic incipit: Et circuibat IESVS totam Galileam docens in synagogis eorum, & prędicans Euangelium regni, & sanans omnem languorem, & omnem in-
Ioan.4. firmitatem in populo. Altera habebat: Iesus autem fatigatus ex itinere sedebat sic supra fontem: tertia: Erãt autem
Mat.10. in via ascendentes Hierosolymã, & præcedebat illos IESVS, & stupebant, & sequentes timebant. Altera die, de Apostolorum peregrinatione in meditationibus agitatum est. hæ itidem ex tribus Euangelij sententijs constabant, quarum
Mat.10. prima erat: Euntes autem prędicate dicentes, quia appropinquabit regnum cœlorum. Altera Apostolorum partitionem amplectebatur; cùm Apostoli in plures partes distributi, in diuersas orbis terrarum prouincias, ex vetere Eccle-
Actuum Apostol. 13. się traditione bini missi sunt. Tertia diui Pauli peregrinatio commemorabatur, quę inquit: Ministrantibus autem illis Domino, & ieiunantibus dixit illis Spiritussanctus: Segregate mihi Paulum & Barnabam, in opus ad quod assumpsi

eos.

cos. Tunc ieiunantes, & orantes, imponentesq; eis manus dimiserunt illos. & ipsi quidem missi à Spiritu sancto, abierunt Seleuciam; & inde nauigauerunt Cyprum: & cum venissent Salaminam, prædicabant verbum Dei in synagogis Iudæorum. Tertię diei meditationibus vitam nostram, continentem esse peregrinationem demonstrabatur, quarum prima sentẽtia erat: egredere de terra tua & de cognatione tua, Gen. 12.
& de domo patris tui, & veni in terram, quam monstrauero tibi. Itẽ illud Pauli habebat: Iuxta fidem defuncti sunt om- Heb. 11.
nes isti, non acceptis repromissionibus, sed à longe eas aspicientes, & salutantes, & confitentes, quia peregrini & hospites sunt super terram: qui enim, & reliqua. altera illum psalmi trigesimi octaui versiculum continebat: quoniam aduena ego sum apud te, & peregrinus, sicut omnes patres mei. tertia, illa verba D. Petri, quæ in secunda canonica præscripta Cap. 2.
sunt, contemplabamur: obsecro vos tanquam aduenas & peregrinos abstinere à carnalibus desiderijs, quæ militant aduersus animam. Postremi diei meditationibus ad rationem venerandi sacri Lintei nosipsos comparabamus; hæq, more & instituto nostro, ad triplicem tractationem redigebantur. primum quodnam cultus genus augustissimo illi monumento adhibendum esset, commentati sumus. huic & propter contactum sanctissimi corporis, & quòd preciosissimi cruoris reliquiæ in eo impressæ essent, supremus cultus, quem latriam appellant, consensu omnium deberi visus est. cùm vero causa nostra, in sacro Linteo illa imago expressa esset, vt diuini erga nos amoris sempiternum monumentum extaret; illud secundo cogitaremus Dominum nostrum multo magis optare videri, vt in animarum nostrarum cordibus, eius diuinitatis forma effingeretur: præsertim cùm illam imaginem ad hanc referri certò sciremus. cumque toties sanctissima Eucharistia nobis administraretur: dominumq; nostrum in

animam

animam nostram tanquam in Linteum acciperemus, culpa nostra fieri putaremus, q̀ viua & expressa imago cruciatus & mortis eius in nobis non relinqueretur. tertiò considerabamus, quid & pro se, & pro quibus supplicandum esset, peteremus. Plurimi erant, qui huius peregrinationis studio traherentur. quatuordecim, quos secum adduceret, sibi delegit. ex familiaribus vndecim asciuit. in hunc numerum tres ædis cathedralis Canonici, Ludouicus Moneta, vnus ex seminarij Clericis, duo ex sodalitate nostra ascripti sunt. Franciscus Linus, qui iccirco ab Allobrogum Duce missus fuerat, vt Cardinalis commodis inseruiret, eumque prosequeretur, vnà nobiscum semper affuit. Pridie quàm discessuri essemus, qui erat dies dominicus nonis Octobris, post domesticas & quotidianas preces, omnibus Peregrinis, familiaribusq; vnum in locum coactis, ex socijs vnus breui sed graui & vehementi sermone, quò peregrinatio illa referēda esset, explicauit. duos enim ad fines eorum laborem potissimum spectare docuit, pietatem nimirum & pœnitentiam: quarum altera sacri Lintei piam & sanctam venerationem, altera acrem & intimum dolorem, & peccatorum detestationem postularet. omnem curam, mentem, cogitationemq; adhibendam esse monuit, vt ijs finibus omnia eorum dicta & facta responderent. Hac oratione habita & accepta à Cardinali benedictione conuentus dimissus est. postero die omnes diluculo habitu peregrinantibus decoro ornati Cardinali pręstò fuere. statim res diuina à sacerdotibus peracta est; à reliquis de Cardinalis manu, vt pręceptum erat, Eucharistia sumpta. Post Missæ sacrum Cardinalis Pontificio ornatu insignis ex pontificalis præscripto cum Peregrinis tum eorum baculis benedictionem impertitus est; ijsq; verbis, quæ sacerdotali continentur, vsus suum cuique baculum distribuit. is ritus quòd ex solenni & sanctissima cærimonia,

preci-

precibusq́; pietatis plenis constat, plurimum religionis in omnium mentibus excitauit. omnibus rebus sanctè administratis, viam quæ Augustam Taurinorum ferebat, hoc ordine ingressi sunt. Antecedebant peregrini: Ecclesiæ Cathedralis Canonici, reliquiq́; sacerdotes subsequebantur; psalmosq́; graduales decantabant. cùm ad portam Vercellinam constitissent, Cardinalis deposito solenni habitu breuiorem vestem puniceam, quæ ad medium vsq; crus pertingebat, & vestem lineam, quam Rochetum appellant, sibi retinuit, baculumq; sumpsit. hoc habitu amictus, singulos Canonicos summa cum charitate complexus est, & pacis osculum dedit. itidem Canonici inter se complexi, inspectante populi magna frequentia, quæ, proficiscentes comitabatur, non sine lacrymis digressi sunt. Prima die circiter meridiem Sidrianum, quod passuum millia decem Mediolano aberat, peruenimus. apud parochum diuersati sumus. statim horæ & Litanię recitatę sunt. inde recreati cibo, Trecas contendimus. is vicus frequens & copiosus est. quòd vero de nocte eo ventum est, Custos Franciscani cœnobij, quod ab ijs, quos Zocolantes appellant, colitur, cum cœnobij patribus, & loci primoribus ad mille passus obuiam ita prodijt, vt nihil potuerit fieri honoratius. cùm propius vicum accessissemus, multitudo, quę luminum magnā vim prę ferret, sese effudit: magnam pietatem incolę omnes præ se tulerunt. luminibus, quæ ad fenestras in viam versas, & ad fores protulerant, omnia collucebant. multitudo, pars procurrit in viam ad conspiciendos peregrinos, pars ad ædem, quò Cardinalis iter flexerat, proficisci maturat. matres non solùm paruos liberos secum trahunt, sed lactantes illuc rapiunt, vt à Cardinali benedictionem consequantur. more institutoq; nostro, in primaria æde factis precibus, Franciscanum cœnobium, vbi instructum erat hospitium,

adiuimus. tum Cardinalis non accubuit, ſed dum alij cœnarent, ipſe lectoris officio, ſumma cum omnium admiratione, eorumq́; pręcipuè, qui illi aſsiſtebãt, functus eſt. cúm ad cęnæ finem huic muneri alius ſucceſsiſſet, ipſe comeſo pomo, vnico vini poculo contentus fuit. Poſtridie cùm in templo primario, quò populi magnus cõcurſus factus erat, Miſſæ ſacrum feciſſet, ſanctamq́; Euchariſtiam vici primarijs adminiſtraſſet, & ſi magnus imber coortus erat; tamen viam ingreſsi, Nouariam millia paſſuum ex eo loco quinq́;, iter conuertimus. inclinato iam in poſtmeridianum die, hora decimaquarta eò peruentum eſt. eius vrbis Antiſtes, quòd podagra laborabat, obuiam egredi non potuit, eius tamen iuſſu, qui ei à ſecretis erat, & Vicarius, plurimique Canonici occurrerũt. Decuriones itidem certos homines, qui eum inuitarent, obuiam miſerunt. Cardinalis vrbem ingreſsus, more ſuo, ad ædem Cathedralem perrexit. ibi canoris & ſuauiſsimis vocibus concinebatur. poſt factam obſecrationem, etſi Antiſtes ciuesq́; Nouarienſes ſummo ſtudio inſtarent & vrgerent, vt Cardinalis maneret, imbrisq́; continuatio reuocaret, eiusq́; veſtimenta vuida eſſent; tamen retineri non potuit. via, qua tranſibat, maxima multitudine benedictionem à Cardinali exoptantium, & expoſcentium concelebrata eſt: neque vllus fuit, qui aut in publicum, aut ad feneſtras non prodierit. millia paſſuũ quinque ab ea vrbe progreſsi Camerianum peruenimus. ibi diuerſorium Epiſcopi ſumptu & cura præparatum fuerat. Cardinalis etſi in veſte madida fluebat, tamen poſt adhibitas in templo preces, & recitatas Litanias, cùm ſe cibo recreaſſet, & igni accenſo ſe calfeciſſet, veſpertinasq́; preces more inſtitutoq́; ſuo, in æde perſoluiſſet, eodem habitu, quo venerat, Vercellas, millia paſſuum ex eo loco quinque, proficiſci contendit: eo conſilio vt ſi poſſet eam vrbem præteriret.

teriret. temporis exiguitate consistere coactus. ad mille passus extra vrbem, Franciscus Bonhomius Antistes Vercellensis, & Canonici plurimi, vrbisq; primarij obuiam egresi, cùm qua decebat reuerentia & humanitate, Cardinalem excepissent, eum prosequi cœperunt. primis fermè tenebris ad Scesiam amnem processimus. à Vercellensibus tanto certamine eò concursum est, vt vlteriores fluminis ripæ multitudine hominum complerentur. traiecto amne Cardinalis circunfusus omnis generis hominum turba à comitatu seclusus, vrbem petijt. sequentibus nobis magna hominum copia funalibus lumina prętulit. ad portam clerus Cardinali præsto fuit, templumq; Cathedrale adeuntem prosecutus est. interim responsoria quædam miro quodam & vario concentu à seminario clerici decantabantur. post factam obsecrationem, recitatasq; completorij statas preces, reliquię sanctorum, quæ propalàm in altari maiori expositę erant; argentoq; tectę, & magnifico sumptuosoq; ornatu instructæ, seruantium pietatem indicabant, inspectæ sunt. Ibi Fedéricũ Ferreriũ Romaniani Marchionẽ, summũ Ducis familię pręsidem, virum grauissimum & amplissimo loco natũ, & alium ex SS. Mauritij & Lazari equestri ordine, qui Ducis nomine Cardinalem cõsalutarent, eiusq; sumptu Augustam vsque Taurinorum perducerent, omnibusq; hospitalibus fungerenrur officijs, nacti sumus. postero die mane Vercellis profecti sumus. Antistes, Canoniciq; nonnulli, & Antistitis familiares quidam se comites addidere. Crobam, vbi prandium apparatum fuerat, processimus. is locus in ditione Marchionis Romaniani erat, Vercellisque millia passuum octo, Allobrogum mẽsione aberat: (nam singula milliaria altero tanto, quàm nostra fermè sunt longiora.) quòdq; pridie eius diei facultas data non fuerat, qua, quæ meditati eramus, in medium proferrentur; ijs exerci-

rationibus, quæ circunſtantes incredibili admiratione affecerunt, quotidianæ lectionis loco, quæ ad eam diem nunquam defuit, vſi ſumus. eo die ſub Veſperum Cilianum labore confecti peruenimus: veriti enim ne nox opprimeret, maximam feſtinationem adhibueramus. Cardinalis adeò itinere defeſſus erat, vt incęnatus ſe in lecto collocarit. eam ob cauſam, quæ veſperi poſt cęnam fieri ſolebant, exercitationes, in poſterum diem dilatæ ſunt. poſtridie exacta vndecima hora cum dimidia, ante lucē prælatis funalibus Ciliano diſceſſum eſt; recitatisq; itinerarij precibus, ſuperioris diei ſententiæ, quas inter nos commentaremur, propoſitæ ſunt. etſi vehementer approperatum eſt: tamē hoc tibi perſpectum eſſe velim, nos cum ijs in contemplationibus animis verſaremur, omni laſsitudinis ſenſu caruiſſe: non ſolùm enim laborem pietas leuabat, ſed nouas vires parabat. tredecim millia paſſuum progreſsi ad villam, quam Riomartini appellant, peruenimus. Hieronymus Rueres Taurinorum Archiepiſcopus cum Canonicorum, & aliorum ſacerdotū comitatu, quos Dux ad excipiendum Cardinalem præmiſerat, ibi nobis obuius fuit. loco deſerto & inculto prandium præbitum eſt: & quòd ſellæ Cardinali & Epiſcopis vix ſuppetebant, plerique ſtantes cibum cepere. pranſi, veſpertinas preces in æde proxima recitauimus: inde iter Auguſtā Taurinorum direximus. inter eum locū & Auguſtam Taurinorum paſſuum millia octo intercedebant. Archiepiſcopus, qui vt Ducem de aduentu Cardinalis certiorē faceret, magna celeritate anteceſſerat, ad mille paſſus extra vrbem obuiam nobis regreſſus eſt. paulo poſt Ducis equitatus omnibus rebus ornatus & inſtructus occurrit, qui in duas diuiſus partes, in medium nos excepit agmen. altera pars antecedebat, altera ſequebatur. quò propior vrbs erat, eò magis acceſſus noſter hominum frequentia, qui ad conſpicien-

ciendum Cardinalem & Peregrinos prodibant, florebat. ad quingentos passus extra vrbem Guidonem Ferrerium Cardinalem Vercellensem, qui Cardinalis nostri aduentum opperiebatur, offendimus. qui benignissimè data, acceptaque salute pedibus, quod itineris erat reliquum, nobiscum confecit. ad ducentos quinquaginta passus progressis nobis Dux, Carolusq; Princeps filius, & alij insignes viri quam plurimi præstò fuere. Dux humanissimè Cardinalem complexus, omne genus obseruantiæ & studij in eum benigna oratione, & vultus iucunditate expressit. quàm amplissimos honores tantę virtuti habendos Dux ante cogitarat: ac propterea tum primum à dextera Cardinalem incedere, & eum primum caput tegere, comiter modestissimeq; compulit. ijs officijs à Duce diligenter sancteq; seruatis, hoc ordine iter ad vrbem institutum est. qui Ducis regiam sectabātur, antecedebant: à lateribus equitatus, sclopetarijq; equis impositi, & ij, quibus Ducis custodia credita erat, collocati, vnà proficiscebantur. Cardinalis familiares baculis cœno oblitis instructi, proximi erant, biniqùe progrediebantur: Cardinalis & Dux sequebantur: Cardinalis Vercellensis, & Carolus Princeps, deinde alij Antistites, qui ad spectandum sacrum Linteum Augustam Taurinorum conuenerant, postremum tenebant locum. Apostolicus Nuncius non affuit, quòd celerius eius opinione eò peruentum erat. nos quoque cùm Mediolano profecti sumus, serius iter facturos existimauimus. cùm propius accederemus, tormentorum bellicorum sonitu incredibili, quorum nonnullis etiam magnæ glandes conijcebantur, quibusq; alijs maximè effusa lætitia significari solet, excepti sumus. Sclopetarij, quorum magnæ copiæ contractæ erant, singulari arte instructi sclopetis admoto igne, sonitu ingenti eandem gratulationem præ se tulerunt, nosq; in medium agmen receperunt. hoc comitatu

ſeptus Cardinalis, vrbem ingreſſus eſt, rectoque itinere ad Cathedralem ędem tetendit. ibi, cùm preces feciſſet, ad regiæ ſacellum, vbi ſacrum Linteum ſitum erat, profectus eſt, ibi itidem adhibitis precibus ad hoſpicium iter conuertit. id non in regia, ſed in domicilio regiæ proximo, magnificẽtiſsimè paratum erat. elegantibus ijſdem ſtragulis lectos ſtratos fuiſſe, eadem ſumptuoſa ſupellectili, ijſdem pretioſis aulęis domicilium inſtructum ferunt, cùm Henricus Galliæ Rex è Pollonia profectus, à Duce hoſpitio receptus eſt. in eodem loco Cardinalis Vercellenſis, cuius domeſtico vſu & iucunda conſuetudine Cardinalis S. Praxedis delectaretur, diuerſatus eſt. cùm Dux Cardinalem ad cubiculũ vſque proſecutus eſſet, quò faciliusis ſolus conquieſceret, & ſe ex labore reficeret, diſceſsit. Cardinalis pedibus ex bullis, quas itineris longitudo & huiuſmodi contentionum inſuetudo cõtraxerat, laborabat, eoq; morbo pręcipue in altero calcaneo vrebatur: quẽ dum medendi ſtudio diligentius curant, altius inciderunt. hoc diuino conſilio accidiſſe interpretabatur, vt tanto in ſplendore, tanta in altitudine fortunæ & glorię, Domini noſtri cruciatus animo hęrerent infixi. Cardinalis etſi per aliquot dies ęgrè ſe pedibus ſuſtentaret: nulla tamen vi morbi deterritus eſt, quin munia ſua obiret. quinta peregrinationis die, quæ erat ſexta feria, in ſacello vbi ſacrum Linteum ſeruabatur, Cardinalis Miſſę ſacrum confecit, ſanctamq; Euchariſtiam nonnullis pijs viris adminiſtrauit. eodem die Dux Cardinalis prandium obijt. inuitusq;, & diu, modeſtiſsimeq; recuſans tandem medius inter duos Cardinales accubuit. interim ſacrum Linteum ad Cathedralem ędem delatum, in chori loco, ſuper magna mẽſa explicatum eſt, veloq; ſerico nigro tectum. poſt prandiũ, cum Cardinalis, eiusq; familiares, & pauci alij eò conceſsiſſent, Archiepiſcopus, Canoniciq; pluuialibus ornati, id dete-

xerunt,

xerunt,& Cardinali,reliquisque secretò spectandum proposuerunt. primo eius aspectu, me ita commotum esse charitati tuæ fateor, vt,cum Cardinalis mandasset, vt orationis genere aliquo animos ad venerationem pietatemque concitarē,lacrymis præpeditus,id facere nequierim:studio enim quodam admirabili, & sanctitate rei,sic obstupueram,vt neque vox,neque oratio,neque lingua consisteret. Lintei exēplar olim conspexeram,quod Dux Antonio Guzmano Hispano Marchioni,cui Insubrium gubernatio à Philippo Rege commissa est,miserat:sed tantam dissimilitudinem habebat, quantum mutam hominis imaginem,ab ipsa spirantis hominis forma differre cognoscimus:tantumque aberat,vt mihi veram speciem exemplar illud referret, vt eius ipsius aspectus admiratione quadam incredibili animum & mentem meam obruerit. magnam vim lacrymarum profundimus; totoque animo,& singulari pietate haud exiguum tēporis spacium ad precandum incubuimus. nonnulli digni habiti sunt, qui sanguinem,qui ex sanctissimo latere & pedibus manarat,oscularentur.id magno religionis studio eximiaque pietate factum est:omnibus denique occasio præbita est,vt sacrum Linteum spectarent,sanctitateq; eius fruerentur. mox decreto loco repositum est, seq; omnes domū receperunt. subsequenti Sabbati die,in eodem sacello Cardinalis Missę sacrum confecit;prandiumq; ei Carolus Princeps instruxit. Est Carolus ętate adolescens , sed senili iudicio,ingenio peracri,flagranti pietate,eximia religione, prudentia singulari. in omni recto studio præterea versatus est;sed sacras historias pręcipuè callet. cùm prandentibus Machabeorum liber fortè legeretur, non solùm eorum res gestas se memoria tenere demonstrauit: sed de ijs ornatè & copiosè,& summa cum dignitate locutus est. pręclaram & altam indolem tam maturę virtutis,in illa ętate,non so-

lùm

lùm Cardinalis dilexit,ſed etiam admiratus eſt. Reliquum temporis in deliberando,qua ratione,& quo ordine ſacrum Linteum ſpectandum & venerandum eſſet,conſumptum eſt; cõſtitutumq;,vt poſtridie, qui erat dies Dominicus,rem diuinam ſolenni,& pontificali ritu Cardinalis faceret; ſermonem de ſacri Lintei laudibus haberet;ſupplicatioque, quæ circumeundo,& Diuorum auxilium implorando fieri ſolet, decerneretur:tum denique ſacrum Linteum ſpectãdum proponeretur. ſed quòd tam miranda multitudo ex Subalpino agro,ad id viſendum confluxit,vt eos ædes Cathedralis capere non poſſet;magnumque periculum impendere videbatur,ſi Miſſæ ſacrum ibi fieret, & ſacrum Linteum ex ſuggeſto ad id conſtructo oſtenderetur: neceſſariò conſilium cõmutatum eſt. Ante arcem multorum paſſuum planities in longitudinem,latitudinemque patet: is locus ad oſtendendum ſacrum Linteum aptus,idoneusque,conſenſu omnium iudicatus eſt: eoque & ſecreta via, quæ à ſacello ad arcem ducit,magna cum pompa delatum:Cardinales enim, primũ deinde Taurinorum, Tarantaſienſiumque Archiepiſcopi, præterea Epiſcopi Ventienſis, Ticinenſis,Vercellenſis,Auguſtenſis,Sauonẽſis,Salutiarum,inſulis,& pontificalibus inſignibus ornati,poſtremo ædis cathedralis Canonici comitabantur. Dux,Nuncius Apoſtolicus,Orator Venetus, alijque Principes viri, tum SS. Mauricij, Lazarique equites crucibus,& equeſtri habitu, qui eſt longa veſtis ſerica & purpurea,inſignes,& ad aſpectum decori ſubſequebantur. referta planitie:repletisque omnibus locis, vnde locus editus,ad id exornatus conſpici poteſt,promiſcuæ virorum & mulierum multitudini innumerabili ſacrum Linteum ſpectandum depromptum eſt. Cardinales,Epiſcopique hoc explicatum ter demittebant,& tollebant;idque ad ſingulas loci partes faciebant. eo viſo omnes Diuinam miſericordiam

implo-

implorantes succlamabant. vbi satis spectatum ab omnibus arbitrati sunt, eodem ordine in Cathedralem ædem id retulerunt; & in suggesto ad hoc exornato collocarunt, funaliaq; plurima accensa statuerunt. Tum quadraginta horarum supplicatio, quæ decreta fuerat, cœpta est; dieq; & nocte continuata. Horæ diuisę sunt, singulisq; horis diurnis, nocturnisq;, aliqua siue Sodalitas, siue Parochia, siue Disciplinatorum societas in templo ad supplicandum adesse visa est. non solùm societates vrbanæ, omniumq; hominum ordines, qui multi & frequentes numerabant, scitè, piè & eleganter id munus executi sunt, suauitateq; & varietate cantus ingentem religionem demonstrarunt: sed ex proximis oppidis, tantus concursus ad supplicationem factus est, vt multitudine virorum & mulierum, tam nocte, quàm die ædes referta fuerit. Ordini equestri SS. Mauritij & Lazari negotiũ datum est, vt ad singulas horas, binos equites mitteret, q & continenter orarent, & sacrũ Linteũ custodirent. Constitutũ pręterea est, vt singulis horis, de summa sacri Lintei dignitate sermones haberent. Et qđ allatũ erat hęreticorum ingẽtem numerũ, ex Perusię & Lucernię vallibus aduẽtare, qui Cardinalis famæ celebritate adducti, illum videre cupiebãt, vnius diei spaciũ supplicationi Dux proferri iussit; captariq; occasionẽ, qua, qui sermones habebant, pręcipuè in hæreticorum errorem & fraudem inueherentur. Cùm Cardinalis S. Praxedis, qui ter locutus est, ac alij Episcopi, cæteriq; concionatores, ad comprimendas libidines, accendendosq; ad pietatem animos, & ad restinguendas hęreses, aptè, ornatè, & copiosè dixerunt; tum Cardinalis Vercellensis, ampla & diuina quadam sententiarum grauitate, & maiestate orationis, ad rerum cœlestium studium, audientium animos non trahere, sed rapere visus est. Antistes autem Vercellensis, cùm Catholicorum causam defenderet,

hęreticorum errores & fallacias vnicè exagitauit, & turbulentiſsimi huius temporis caliginem mirificè diſcuſsit. flagranti ſtudio, & magno pietatis ardore in precibus perſeueratum eſt. Dux & Princeps iniunctas precandi horas, ſanctè, pieq; obierunt: animaduerſumq; eſt nunquam ſacrum Linteum ſpectandum propoſitum fuiſſe, quod bis inter preces fecerunt, quin Dux præ magnitudine quadam pietatis, ſemper illachrymatus ſit; pręclarumque exemplum antiquę Principum fidei, & Catholicę pietatis renouarit. Cùm ſupplicationis finis inſtaret, Taurinorum Archiepiſcopus doctrina, conſilio, & eloquentia excellens, adeò copiosè, eruditè, pieq; concionatus eſt, vt ſingularem & diuinam eius vim omnes admirarentur. Antequam ſacrum Linteum ad ſacellum reportaretur, grauiſsimus ſermo, & ad pietatis exercitationem aptus, accommodatusque à Sanctæ Praxedis Cardinali habitus eſt. Dum hæc in Cathedrali æde geruntur, Sanctæ Praxedis Cardinalis ad Collegium noſtrum, vbi corpora ſanctorum martyrum, & eius vrbis ciuium Solutoris, Aduentoris, & Octauij ſita ſunt, ſe contulit. ibi Miſſæ ſacrum fecit, & quibuſdam pijs viris ſacram Euchariſtiam, ab eo percipere cupientibus, morem geſsit. poſtridie, qui erat quartæ feriæ dies, ſacrum Miſſæ in ſacello, vbi ſacrum Linteum reconditum erat, confecit. Ibi Princeps, cum alijs viris clariſsimis quamplurimis, ſacram Euchariſtiam ſumpſit, & Cardinalis prandium inijt. ſub veſperum rurſus ſacrum Linteum ſecretò prolatum eſt; & quo ordine, primo aduentu inſpectum fuerat, eodem Cardinalis, & eius familiares poſtremò ſpectarunt. Dux itidem & Princeps aderant: nec minor pietas quàm ante, in omnibus, pręcipueq; in Cardinale Sanctæ Praxedis enituit; qui ad pedes ſacrę imaginis ſummo cum ſtudio, humilitateq; proiectus, non prius ſurrexit, quàm

in vſitata ſede collocata eſt. Die proximo, Dux Cardinalis prandium celebrauit: ad duas horas poſt prandium, vnà fuere. Cardinalis de rebus diuinis, de animarum ſalute, deq; optima gubernandi ratione cum Duce egit. eius oratio à Duce attentè, ſecundisq; auribus audita eſt. Cardinalis comiter, liberaliterq; habitus, & honorificentiſsimis officijs cultus fuerat: Sed cum diſceſſurus eſſet, quanto in honore fuerit, & quàm magni eius pietas ęſtimaretur, illud vnum, quo omnes obſtupefacti ſunt, indicium fecit, Nam Dux humi proſtratus, vnà cum Principe, & Amadeo, manantibus lachrymis, infimis precibus benedictionē ſibi, ac liberis popoſcit. attollenti eos Cardinali, nec iacere patienti, Dux reſpondit, non prius erecturos ſe ſe, quàm benedictionem impertitus eſſet. Ducis, quemlibet clarorum, piorumq; regum cum magnitudine animi, tum manſuetudine, & religione ęquantis rogationi, Cardinalis ceſsit, ſtudioq; obſecutus eſt. hoc facto, Dux ad Principem filium conuerſus, lingua Gallica primùm, deinde Itala, vt Cardinalis intelligeret, Cardinalem, inquit, fili tibi patrem aſciſcas, eiq; patrium honorem tribuas; atque vti parenti obtemperes; eumque roges, vt te filij loco habere non grauetur. ille, vt erat obſequentiſsimus, ad Cardinalem conuerſus, parentis mandata diligenter, obedienterq; perſecutus eſt. Horum Principum omnia ſummi amoris, obſequij, obſeruantiæ in Cardinalem officia conſtiterunt: tantaq; pietatis præſtantia, tantus animi ſplendor in Cardinale perſpectus eſt, vt tota Ciuitas ad eum intuendum conuerteretur, ſummaq; in eum ſtudia à populo ſignificarentur. Antequàm diſcederet, eum Dux rurſus inuiſit; proficiſcentem in vehiculum ſuſtulit, & ongius extra vrbem proſecutus eſt. Cardinalis, reliquis Mediolanum remiſsis, ſex ex familia ſecum retinuit: ijs adhibitis, cum Cardinali Vercellenſi Iauennam, (qui locus, in

L 2 Car-

dinalis Vercellensis potestate est,) se contulit. postridie ad Diui Michaelis cœnobium, cui Clusę nomen inditum est, peruenimus. id in monte excelso, edita, & pręrupta rupe, summa arte, & mirificis operibus extructū est, præclarumq; antiquæ Principū Sabaudorū religionis monumentū existit. maximis opibus floret: sub eiusq; administrationē & ditionē, plurima oppida antiqui illi Principes subiunxerunt. fidei ac patrocinio Cardinalis Vercellēsis cōmendatum est. plurimis preciosis reliquijs sanctorū ornatum ac refertū est. ibi totum diem consumpsimus, remq; diuinam magna cum religione fecimus. subsequenti sabbati die, Iauenna profecti sumus, & altero die Varale peruenimus. Varale mons est: à propinquo vico, & ad radices montis posito, nomen traxit. ibi Domini nostri vitæ, ac crucis mysteria, singulari opere, artificioq; perfecta sunt: sed nascentis CHRISTI pręcipuè, horti, ac sepulchri signa, eximia sunt venustate. formam & figuram eorum, quæ Hierosolymis adhuc cernuntur, exprimunt. Centum ab hinc annis, Bernardinus Caimus, ordinis obseruantium D. Francisci, vir singulari sanctitate præditus, summa religione adductus, edito hoc loco, ad similitudinem eorum, quæ Hierosolymis viderat, hæc curauit formanda. ijs mysterijs nihil nobilius, nihil quod magis visendum putetur. eò, cum hora vigesima prima peruentum esset, à vico pedibus in summum euasimus montem, mysteriaq; inuisimus: ex familiaribus aliquis sententias, quas ad singula mysteria meditaremur, pronuntiabat: plus, minusùe, pro mysterij ratione, in ijs meditationibus versabamur. altera noctis hora, cibi copia facta est: ad id enim tempus, ita ieiuni fueramus, vt nihil prorsus gustassemus. in eo ieiunio nos quidem panem, & vinum, Cardinalis, panem tantum, & aquam adhibuit. refectis cibo viribus, ad mysteriorum contemplationem reditum est. Cardinalis, vno tantum socio secum retento

tento, vſque ad nonam horam ibi pernoctauit. tum verò cùm ſocius vim frigoris non ſuſtineret, accenſo igne, ſe calfecerunt, & in ſellis vſque ad vndecimam horam ſopiti iacuerunt. tum autem experrecti, ad preces redierunt. de obſecrandi ſtudio nihil remiſsum eſt, niſi cum tempus pręparandi ſe ad Miſſæ ſacrum affuit. in ijs exercitationibus, poſt prandium nonnullæ horæ traductæ ſunt. Atq; vt quàm magno adiumento Deus huic eius ſeruo ſit, planè intelligas, & ſi tota hac peregrinatione, è lecto decima hora ſurgeret, ſeriusq; ſe quieti traderet; iterque vel equo, vel pedibus prima luce ingreſſus, vſque ad vigeſimam tertiam horam interdum ire contenderet; interimq; cibo, & omni quietis genere abſtineret: tamen pręcipuis corporis viribus ſemper viguit.

Tum Deum implora, vt ſanctum Spiritum in eo foueat, & conſeruet; facultatemque diuinam voluntatem cognoſcendi, eiq; obtemperandi largiatur: tum ipſe tuo inſtituto, in precibus, quas ad Deum facis, mei fac, vt memineris.

LAVS DEO.



Registrum.

† Imago Sindonis A B C D E F G H I K L.

Omnes sunt duerniones.

Errata sic prius emendes.

Diphtongos, & commata, adde, vel deme suis locis.

Pag. 3	linea 5	concurrerunt	lege concurrerint.
Pag. 8	linea 3	Ecclesiastes	lege Ecclesiastæ.
Pag. 13	in margine	Antonius	lege Antoninus.
Pag. 14	linea 6	nec est	lege nec omnino est.
Pag. 16	lin. pen.	Christianissimis	lege Christianissimos.
Pag. 23	linea 15	Camberij	lege Camberium.
	linea pen.	Sindonem	lege Sindonis.
Pag. 28	linea 19	subsannanere	lege subsannauere.
Pag. 29	linea 2	nihil	lege nil.
	linea 6	Erithreis	lege Erythræis.
Pag. 31	linea 6	Idqne	lege Idq;.
Pag. 43	linea 8	γΓειαν	lege ὑγεῖαν.
Pag. 47	in marg.	Ien.	lege Genesis.
	linea 15	Estibus	lege Vestibus.
	linea 19	eum	lege eò.
Pag. 48	linea 5	siue	lege sine
Pag. 49	linea 12	languores	lege langores.
	linea 14	consiliatus	lege conciliatus.
Pag. 52	linea 20	noua arte	lege arte noua.
Pag. 60	linea 30	scindetur	lege cingitur.
Pag. 62	linea 25	dilinirent	lege delinirent.
Pag. 65	linea 23	ommittendum	lege omittendum.
Pag. 68	linea 17	comparuit	lege comparauit.
Pag. 69	linea 12	dele vnum, vt,	
Pag. 75	linea 14	Seminario clerici	lege Seminarij clericis.
	linea 24	fungerenrur	lege fungerentur.
Pag. 80	linea 21	Insulis	lege Infulis.



VITAM AGITANT VENTI, MILES QVASI, NAVTAQ. VIVO,
APPARET SIQVIDEM RERVM NON TERMINVS VNVS.
NIL TAMEN EXTIMEO, NAM COELVM EST VNDIQ. SVRSVM.

